# Richardi Gardiner

HEREFORDENSIS,

*ÆDIS CHRISTI*

OXON: CANONICI,

SPECIMEN ORATORIUM,

Quarta Editione impressum, cum Supplemento Novissimo.

*OXONIÆ.*

Excudebat *H. H.* Academiæ Typographus,
Impensis RIC. DAVIS, 1668.

Richardi Gardiner

HEREFORDENSIS,

ÆDIS CHRISTI

OXON: CANONICI,

SPECIMEN ORATORIUM,

Quarta Editione impressum, cum

Supplemento Novissimo.

---

OXONIÆ,

Excudebat W. H. Academiæ Typographus,

Impensis Ric. Davis, 1668.

SCHOLÆ PUBLICÆ

# Herefordenſi,

VBI TENERIS ANNIS LIBERALIUM STUDIORUM INCUNABILIS, ET RUDIMENTIS CHRISTO AUSPICE VACAVIT Fauſtè,

RICHARDUS GARDINER ISTIUS ENCHIRIDII AUTHOR ET AUCTOR HOC SUMMÆ BENEVOLENTIÆ ΜΝΕΜΟΣΥΝΟΝ EXILE. GRATITUDINIS ERGÒ.

D.D.C.

---

*Vade, Sed incultus——*

LIBRARY OF THE
UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY
NEW YORK

JAN 01 1946

MCALPIN
1668
G223



192641

# *Serenissimo* IACOBO,

## *tam Stylo quam Sceptro Regi.*

AUgustissimum, & verè Βασιλικὸν δῶρον (*Rex* serenissime) tanquam *Ancile* quoddam cælitùs delapsum pio affectu amplexa est *Ancilla* vestra, *Oxoniensis* Academia. Cujus enim pectus non accendat aureũ hoc Solis Jubar? Quos stimulos non imprimat perpetuũ Honoris signum, & amplissimũ Favoris Monumentum? Parum abest, quin spatiosus *Britãniæ* ambitus simul in *Academiam* laxetur, & unanimis undequaque populus, ad Regis exemplum compositus, in Gentem *Philosophorum* vertatur. Agnoscit sacrum *Musarum* Adytum *Majestatis* vestræ *Geniũ*, aureo volumine inclusum. Agnoscunt circumstipantes reliquorum Musæ *Antesignanum* hunc *Phœbum*, cujus radiis suas debent *stricturas*. Felicitatem tantam sublimi, debitâ tamen, superbiâ admiratur Bibliotheca, cujus fidæ custo-

diæ tam Regale *Depositum* consecratur. Gloriatur universa studiosorum cohors, Majestatem vestram in *Aula* versari, ac in *Helicone*; tam calamo, quàm gladio accingi, & Imperii habenas literarum *Caduceo* moderari. Desinant igitur Ambulantium hominum cadavera literas despicere, quas nesciunt, cùm cogitârint *Principem* tam multa scientem quàm regentem, horarum formulas vicissitudine Regiminis & Scriptionis dividentem, ac si æquè jucundum in Literis, ac Imperio sit. Quid superest, nisi ut æternitatem cogites, cum literas æternas esse facias. Nos interim grato ore resonabimus, Monarchæ *JACOBI* otium plus Patriæ, & humano generi profuisse, quam aliorum Negotium, & Exercitus.

*E domo Convoc. nostræ*
Oxon. Maii 29. *An. Domini* 1620.

*Sacræ Majestati vestræ devotissima*
Oxoniensis *Academia.*

Richardo Gardiner *ex Ædę Christi. A.M. Oratore publico deputato.*

## *Oratio habita in Domo Convocationis* Oxon. Maii 29. 1620. *cum sereniss. Rex* JACOBUS *Opera sua Academiæ Dono dederit.*

IN Re tam *Augusta*, tam *Basilica*, quorsum (*Academici*) more solito angustis hisce parietum carceribus vestrum compingitis Oratorem? Regum dicta & facta omnium oculos, aut ésque traherent, quia fructum sunt perditura, si solitudini ostendantur. Non itaque inter privatos parietes, sed in toto terrarum orbe quærendus suggesti locus; Nam quicquid usquam hominum est, meum Auditorium est: Ita sui diffusivus sereniſſimus *JACOBUS*, ut beneficium, quod vestræ solummodò mãdavit custodiæ, vestri solummodò non faceret Juris: Mansueta illius Sublimitas & Gratiis stipata Severitas excludunt neminem, nisi ἄμουσον. At hic refugit animus, & reformidat eloqui, quæ subitò, & penè improvisò cogitavi. Onerosa profectò mihi est, & insolitũ incutit timorem *Nominis* tanti, vel potiùs *Numinis*

*minis* Mrjestas: Non enim vox Hominem sonat; aut si hominem, certè Hominem supra hominem positum. Quò difficilior mihi perorandi locus, cùm ita laudem, ut pertimescam, ita approbem, ut ingenii culpâ laudes deteram. Quid quæso est in hoc Theatro Universitatis Rerum, quod *Regia* illius Excellentia, haud dicam non attigerit, aut degustârit, sed penetrârit, & excusserit? Si quæratis specimen, Aureum illud Magnificientiæ suæ munus contemplamini, in quo voces sententiæ sunt, verba oracula, ut mihi *tam pulchrè videatur scribere, quàm regere.* O Regem; *Seculi, non Ornamentum dicam, sed Miraculum,* à quo Solo tantum expectare beneficium æternitas Ingeniorum potuit! Paucis hoc concessum Regibus minimè otiari, cùm maximè possint otiari; avarissimè servare tẽpus, nihilq; per incuriam pati excidere. Optimè de patriâ, & humano genere meretur *Justinianus Cæsar*, quòd cives formaturus, indigestam *Juris Civilis* molem Authoritate suâ, sed vicariis subsidiis redegit in Epitomen. Quantò rectiùs Monarcha *JACOBUS*, cujus Ipsius erudita pietas Historica, Politica, Theologica deprompsit, ut Viros, Cives, verèque Chri-

stianos

ſtianos reddat. De *Deo* cum Theologo diſſerit; cum Juriſconſulto inextricabiles nodos, legùmque ænigmata affabrè explicat, & laboranti *Aſtrææ* ſuccurrit. Cum Politico reipublicæ morbos, & remedia loquitur, & (ut verbo perſtringam omnia) hoc profecto agit, quod ſinguli. Sed quoties *Sacrarum Literarum* limina ſpeciali quodam Jure ſubiit, in *Rege Ambroſium*, aut *Auguſtinum*, aut ſanè Antiſtitem aliquem crederes loquutum, adeò dextrè divinæ Paginæ ſenſum expoſuit. Sic plus literaria illius quies profit hominibus, quàm aliorum ſudor, & irrequietus labor. O fœlicem Academiam, quæ tam regali depoſito ſuperbire geſtit! Deſinite tandem fugitiva aliorum Inventa, ſubtiles, et inanes *Metaphyſices* Abſtractiones curoſiùs venari. Iſtiuſmodi enim literæ ad virtutem doctoribus parùm profuerunt: Poſtulare videtur veſtri Judicii maturitas, ingenii acumen, animi robur, ut non tàm Scholæ ſtudeatis, quàm Reipublicæ. Volvenda et revolvenda ſunt,

*Nocturnâ verſanda manu, verſanda diurnâ*, haud *Varronis* alicujus, ſed Regis πολυμαθεῖς Opera, quæ vos peregrinantes, et velut in Patria hoſpites domum perducent, ut unde,

qui,

qui, et ubi sitis, exploratum habeatis. Hic docetur Ars omnium pulcherrima, Imperare scilicet et Parere. Hic discatis frigere sine usu disputationes, nisi in mediam proferatis lucē, quæ in hac umbratili Exercitatione differuntur. Cùm igitur digni tanto honore, tantáque reperti sitis fœlicitate, ut initium et finis studiorū à *Voce Imperatoriâ* procedant, conatus vestros pulcherrima spes foveat, posse etiam et vos (si *Solis* et *Apollinis* vestri ductum sequamini) ad honores, et dignitates designari. *Academia* distinguitur Scholis, clarescit Collegiis, floret disciplinis, at ut ab *Authore*, ita ab *hoc opere* Nomen tuetur.

Bibliotheca non erit literarum Ædificium, sed Miraculum, quia hunc Orbis totius Thesaurum continebit. Ipsi *veterum* libri gloria spoliati, senio, et vetustate squalidi, novo hoc *Radio* protinus resplendescent. Quocirca circumferte hanc famæ vestræ Facem, ut diffusiori luceat radio. Cujus enim industriam non exacuat tam luculentum Favoris auxilium? Quisquámne erit, qui ætatem inerti solvet otio, cū *Principis* labores et studia quotidie in oculis, et manibus versentur? Quisquámne erit, qui ingeniū situ et sordibus obsoleſcere patietur,

patietur, cùm cogitârit Principi, ſive in Curiâ, ſive in Senatu, unum utrobique negotium Legere, & Scribere? Æſtuat hic Oratio, & læto, liberóq; motu ardet evagari; ſed reprimam ſtili pertinaciam, ne in alienâ videar involare meſſem; quod tamen minimè timendum eſt Laudatori tanti Regis; Nam cùm omnia effundant omnes, ſemper novus veniat Laudator Ejus, tantam facultatem, & copiam ſuppeditat dictorum, factorúmque Amplitudo. Quid ſupereſt (*Academici*, uſq; ad invidiam fœliciſſimi) niſi ut Cæleſte hoc Ancile *Bodleiano Mnemoſynes* Fano conſecretis?

*Dividite muros, & mœnia pandite circum*
*Sacra canant vates.* ——

Sic nos,

*Fœlix* Palladium *ſacrata ſiſtimus Arce.*

*Oratio habita in Domo Convocationis* OXON. Maii 29. 1620. *cùm Sereniſſ. R.* Jac. *Opera ſua Acad. dono dederit: à* Richardo Gardiner, *ex Æde Chriſti*, A. M. *Oratore Publico Deputato.*

*Laudatio.*

# *Laudatio Funebris Domini*

*Doctoris* Budden, *Regii Professoris in Jure Civili*, Jun. 7. 1620. *in Schola Theologica* Oxon.

IN hac effæta, & delira mundi senectâ, quâ universa canescentis naturæ opera quasi deliquium patiuntur, nihil vindicari potest ab injuria Temporis. Datur hic longævum aliquod, sed non datur æternum; Incrementa ipsa damna sunt, & quo ad summum pervenit, ad exitum properat. Satis superque perspectum, & exploratum habetis (*Academici*) quòd qui humanum fastigium excessere Animi, uti cœlo proximi, ita ociùs illuc transeunt, ac mortalitatis suæ sarcinam festinantiùs deserunt. Agnoscite fluxum fortunæ vestræ, & refluxum; ad lætitiæ pompam omnia parata sunt nuperrimè; at nunc, mutata scena, omni ex parte Lugubres nos exanimant voces, circumsonāt aures ge-

gemitus, ſuſpiria, querimoniæ, & *Eheu funerei ubiq; planctus*. Quaſi *Regis* Munere honorario nimium intumeſceret lætabunda Mater Academia, niſi *Regii Profeſſoris* Funere atrata ingemiſceret. Cum autem *Profeſſorem Regium* nominem, *Buddenum* nomino; æquè enim patet terminorum ambitus, niſi fortè hoc obſtat, quòd non tam Illi ſublimis Titulus honori, quàm ipſe Titulo Ornamento fuiſſe videatur. Sed nè confuſim, & tanquam per Satyram conturbet omnia abruptus, & effrenis dolor, ab ipſius Origine, & incunabilis percurramus ſingula, ut inde quibus crevit auxiliis, quibus adolevit, & robur aſſumpſit recolant poſteri. Patriam habuit *Dorceſtriam*, Eminentium Ingeniorum feraciſſimam: ſi ſtirpem & longam proavorum ſeriem ſpectare placeat, proſapiâ claruit tam magnâ quam bonâ; verùm à fortuitis, & fugitivis iſtiuſmodi bonis conſarcinari laudes glorioſi dedignantur Manes. Languens vita, & ignobile otium Nobilitatis fumos venditet: propriâ ſic luce explenduit *Buddenius* noſter, ut Natalium ſplendorẽ niſi accepiſſet, facere potuerit. Dignitatem corporis, Animi virtutes, & vocis jucundæ ſonũ

vultis

vultis ut deprædicem, (*Deus bone!*) quàm ampla dicendi seges, ac copia! Vis ingenii, & Oris adfuit; adfuit Authoritas simul, & comitas, nec facile dijudicare an major esset *Authoritatis*, an *Comitatis*; Id enim Gratia imperavit, quod nec Imperio Alius cogit. Exteris undique confluentibus (ea viguit morum facilitate) patebat semper, ac Domicilium ejus Oxonii Oraculum habebatur. In floridâ, & vernante ætate *Musarum* Decus affulsit, ac *Apollinis* Delitiæ. Cum Poetarum succo tenellum lactâsset animum, Oratorum perrupit Monumenta. Ex Rhetore Philosophus & ex Philosopho Rhetor factus est; Philosophiam enim in Eloquentia, & Eloquentiam exercuit in Philosophia, ne involuta perfectissima Cognitionis arcana sine Rhetorices ornatu parum relucerent. In Philosophicis tam eximium sui specimen publicè edidit, ut magnificum *Magdalenæ* Collegium, Hunc, præ aliis, Philosophiæ *Prælectorem* sibi asciscere ambitione quadam, non injustâ tamen, strenuè certaret. In quo munere eâ curâ, Judicio, & quæ propria Illius fuit, *Prudentiâ* versatus est, ut nesciam an ætas ulla, aut Gens quævis Parem suppeditârit. Ætate grandi-

or,

or, cum lacertos movere affabrè nôrit, ut nihil nisi summum eligeret, Jurisprudentiæ studia placuere; à quibus facilis in omnes Dignitates foret discursus, nisi circumforanei Causidicorum quorundam latratus objicerẽt sese bonis Artibus, & tanquam Hirudines Jus Civile exugerent. *Justiniani* tamen nostri providentiâ quò virtus vocavit, eò perductus est, ad fastigium nimirum *Cathedræ* hujus *Academicæ*. Quod professorium onus gloriâ plenus, socordiæ nescius suscepit fortiter, & confecit feliciter. Quicquid enim in *Baldo*, & *Bartolo* glorioſa suorum æstimatrix vetustas extulit, in eo revixit, ac triumphavit. Quid hic commemorem, quoties in *Vesperiis* & *Comitiis* vestris ad dicendũ processit, per densissimum Agmen quærendus fuit suggesti locus? Ille, Ille unus veluti catenis devinctos traxit auditorum animos; Illius vox tanquam turba percussit circumstantium aures: imò hæc omnia per ludum, & jocum præstitit, in quibus Alii inutiliter sudant. Seculi me indignitas impellit, contra quam exclamare nunquam desinam, *Sereni* querelam renovare. Indignè tulit *Serenus* quòd *Catonem* Ætas sua; & quid ni ego indignè ferrem;

Property of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York

rem, quòd *Buddenum* Ætas noſtra parùm intellexiſſet, quòd ſuprà *Pompeios*, & *Cæſares* ſurgentem, ferè infra *Vatinios* poſuiſſet. *Navio Turpioni* cuidam, aut

*Æmilio dabitur quantum petit,*
*Illius ſtat currus aheneus, alti*
*Quadrijuges in veſtibulis*, Cum interim *Buddenus* lateat abditus in Muſæo, & Lare privato: Quanquam non latuit abditus, cujus virtus ab ortu ſolis ad *Heſperium* uſque *Cubile* ſeſe diffudit. Contempſit generoſa conſcientiæ ſuæ ſecuritas curva hominum Judicia; maluit Sapientiæ *Sacrum Athenis* hiſce colere, quàm in foro latrare, & *Tribunal* lambere. Illic convolent Quadruplatores noſtri, quos *ambitio impotens, & ſpes ſollicitat lucri.* Nec adulari Imperantibus noſter didicit Profeſſor, nec irritare; ſed inter abruptam *contumaciam*, & *deforme obſequium* ſuſcepit iter ambitione, ac periculis vacuum. Inter cætera animi ejus ornamenta, tam acre, ac tam certum emicuit in rebus adminiſtrandis judicium, ut meritò eum *Aulæ Late portenſis* præfecturâ inſigniret ſummus nutantis Academiæ *Atlas*, nobiliſſimus, atque idem optimus, *Gulielmus*, Pembrochiæ

chiæ Comes, vigilantissimus noster *Cancellarius*. Sic fœlici copulâ Juris cultor Justitiæ fit Arbiter. Quamprimum ruituræ, & penè collapsæ istius Domus limen ingressus est, protinus Aularum omnium nitidissima audit, & tanta venustate undequaque septa ut domicilium dare *Jovi* ipsi possit, si diutius illic egerit, vixerit, & philosophatus fuerit *Buddenus*. Quomodò preterire possum, quòd cum vix ulla pars temporis negotiis publicis vacua esset, subtraxit tamen negotiis quam inpenderet scriptis; & nè fructum a solo Jurisprudentiæ auditu expectarent studiosi; *Ærodii* libellum *Gallicè* excusum, vir juventuti informandæ natus, Patrio sermone cuivis reddidit familiarem. Quid dicam de παλιγγενεσία munificentissimi *Wainfleti?* in qua scribenda suam quoq; conscripsit πανήγυριν, & Collegiorum Alumnis (sequar verba *Platonici Oratoris* vestri, quem munere represento) *exprobrare videtur laudabile illud Clarissimi Buddeni factum, quòd celeberrimorum Fundatorum beneficiis frui malunt, quàm eorum facta insignia, & quantivis pretii historias piè posteris commendare*. Cum itaq; multorum labores ipse unus exantlârit, & in nostrum salutem non solùm

operæ, sed vitæ prodigus fuerit, minimè mirandum est, si illo defuncto valetudinaria sit Academia, ac si ad tabem paulatim eat. Quis enim *Hercules* Juridicum hoc forum fulcire valet? Quis tantis est cervicibus, quem non totum deprimet, & obruet mole suâ? Non capiunt angustiæ pectoris cujuslibet, non recipit egestas animi, non sustinet infirmitas ingenii tanti prædecessoris personam, tam gravem, tã severam. Resurgat oportet, & iterum exoriatur *Cadaver* illud, aut vix ac ne vix quidem exurget *Majestas* hujus loci. Credite solummodò hanc *Umbram* comitari Jurisprudentiam, quia pristinam Dignitatem ad amussim tueari desperat in ullo post *Buddenum*. Sed nè Injuria afficiam sacros hosce Manes, desinam coarctare famam, & angustiis oratiunculæ tantùm non extempore fusæ strangulare. Vestrum, vestrum est, *Academici*, Reliquias, claráque corporis exuvias marmoreo Cippo condere, & memoriam *Annalibus* dignam solenni Anniversario celebrare, ut neque dignitas, neque Æternitas tantæ virtuti desit. Attollite, & circumferte ossa.

*Ut cineres tota spargantur in urbe: teneri*
*Uno non debet Gloria tanta loco.*

*Oratio habita à R. G. in Capella R. H. Sept. VVestmonast. Novemb.* 11mo, 1640. *Cum Convocationis Nomine Doctorem* RICHARDUM STUART, *Decanum Ciceſtrenſem, præſentaret venerando Epiſcoporum Senatui, ut admittatur ad Munus Prolocutoris.*

NON eſt mihi difficilis perorandi locus, (*Patres Conſcripti*) cùm tam fœcundum Inventionis eruditæ Argumentum in oculis, & in manu teram. At è Cunis ſtudiorum abundè novi, Illi perindè eſſe in ſcopulis, ac in propriis obhærere Encomiis. Quocirca conſultò prætergredior multa, nè tam perſpectæ modeſtiæ ingratas injiciam moleſtias, Sinite me tamen rationes ſubducere, pro quibus unâ univerſi voce, pari ſtudio, & eâdem mente, non juniori alicui Magiſtellulo, nimis citò à

Scholaſtico pulvere dimiſſo, ſed huic viro, verè magno honorificam *Syndici* Spartam enucleato judicio demandârunt.

Cùm nuperrimè negotioſiſſimi Muneris, quo veſtro Candore iterum functurus eſt, primas ſolviſſet anchoras, votorum vela, ceu Favonius aliquis fœlici implevit auſpicio, veſtræ expectationis ponderi non ſuccubuit, ſed ſolidam inde laudem reportavit. Quæ auguria ad opimam ſpem vergunt, ratem noſtram, talis *Palinuri* præſidio, in procellis, & fluctibus tempeſtatum, quibus undíque conflictamur, ægrè admodum ſubire naufragium. In tanto Animorum motu, & perturbatione, noſtrâ refert Cauſarum aſciſcere Patronum, qui eá vi mentis pollet, ut fortiter laturus ſit, quicquid venerabilis iſte Conſeſſus inædificare voluerit illius humeris, Planè confidimus hunc eſſe *Atlantem*, qui ad quodvis opus tollendum vires ſortitus eſt idoneas. Ut hodiè mores ſunt, aliquantulùm Scenæ, & populo inſerviendum eſt, qui publici Juris *Defenſorem* tàm è loco, & ſubſelliis metiri ſolet, quàm ab interioribus Animi, & Doctrinæ dotibus. Rectè igitur cecidit, quòd Advocatum nacti ſumus dignum

nûm meritis, prævalidum gratiâ, & famâ florentem apud primariam Nobilitatem. Non fugit ſagacitatem veſtram in Conſiliis vobiſcum conferendis tali opus eſſe, qui aptâ, & dilucidâ rerum explanatione ſatis expeditè explicet, quæ ſentit, reſpondeat ad omnia quæ urgentur, quamvis ſubitò, nè inopia verborum enervet vires ratiocinum. Quà laude nemini cedit *Hic* egregiè doctus; quippe penitus habemus exploratum callere Illum Artem judicandi cum Dialecticis, Eloquendi cum Rhetoricis. Si res ſtrictiùs attingenda ſit, conciſis aſtringat concluſiunculis; Longiores explicatus poſtulet, continuâ proſequatur oratione. Synodo noviſſimâ curæ, & ſolicitudines veſtræ hùc ſpectarunt omnes, ut veritas, & pax indiſſolubili nexu, & connubio jungantur ſtabili: At non tam præclarè agitur cum rebus humanis, ut optima quæque placeant pluribus. Dolens dico, *plus præjudicata valet opinio, quàm vera ratio*; quæ non minima eſt fundi noſtri calamitas. Neſcio quod malignum Sydus optimè conſulta, & ab integerrimo affectu concepta in ſiniſtram torquet interpretationem. Paſſim proſiliunt moroſi, qui vo-

culis intendunt litem, apices verborum arrodunt, leviuſcula, *&c.* exagitant, ac ſi præſtigiarum more caliginem ob oculos offundant, & monſtra obtrudant pro veris. Nec hic gradum ſiſtit ærugo, nigræque ſuccus loliginis: Poſterioribus hiſce Comitiis, Re vix peractâ, proceſſit in medium ſacer, & horribilis liber, putens ſpurcitie, & procacitate.

Proh Superos! *in qua reſervamur tempora?* Tenebricoſus Rabula, impurus Furcifer, veram integritatis ſpeciem, Eminentiâ Muneris Decus totius Senatûs, nunquam ſine honore nominandum, petulantiâ dicteriorum nominatim, ſine Juſſu, ne quidem permiſſu perſtringit, maledictis proſcindit, & ut aurum ſubæratum ſceleratè proſcribit.

Quæ omnia licèt iſtiuſmodi ſunt ut riſum, non bilem moveant haud iniquo rerum æſtimatori, cùm *jejuna calumnia ſpiculum amittat ſine vulneris ſuſpicione*, & putida convicia nequaquàm deterreant, aut retardent Cordatos à Conſtantiâ rectè faciendi; æquum tamen eſſe ſentimus hunc adoptare vindicem, qui, quæ ſpectant ad famam, & exiſtimationem inſontis Cauſæ, fidenter dicat, inanes dubitationes tollat, & intemperantis

Zeli

Zeli turbellas componat, definitè omnia, & ſigillatim indicando. Facilè ariolari poſſumus ſine Urinatore *Delio*, & ænigmatum Conjectore, quorſum clamoſa *Remi* turba, fæx *Quiritum*, peſtiferis factionibus ebria, adverſus Regimen Eccleſiaſticum lymphato quodam impetu non ita pridem deſæviret. Nam, quicunque tandem color obtenditur, intima pellucet cauſa: Sperant nimirùm viles imperitæ plebeculæ quiſquiliæ, ampliſſimi Ordinis authoritate ſublatâ, licitum illis fore Schiſmata licentiùs alere, Eccleſias pro libitu ſuo diripere, in Ritus, & Ceremonias licentiùs involare, Clerúmque bonis, & honoribus exuere.

*Hoc Ithacus velit, & magno mercentur (Atridæ.*

Nemo hiantibus iſtis Corvis os obſtruat accuratiùs, ſecus opinantes ad ſanam mentem rediget molliùs, quàm Iſte Inſignis *Propugnator* noſter, niſi fortè *Liventem* Deam placari velint *virtute relictâ*. Quòd ſi miſelli homunciones adeò obfirmato ſint ingenio, ut *Suadæ* medulla non perſuadeat, etiamſi perſuaſerit, nobis tamen religio eſt veſtris inſiſtere veſtigiis. Etenim Confra-

trum meorum nomine liberè affirmare auſim, nos Scita nuper edita, ut pura, defæcata, prudentiæ, ſinceritatis pleniſſima, Articulis, & Eccleſiæ Anglicanæ Inſtitutis ad amuſſim conformia, intrepidos complecti. *Intrepidos dico? O inertiam vocabuli!* Ovantes dicerem, ut erectos, & infractos decet animos. Sed quid detineo ſpectatiſſimam coronam manipulo, & racemo, cùm propè ſit meſſis, & vindemia? Quicquid *rivulus confert ad fontem, ſtellula ad ſolem*, omne erit infra dignitatem. Itaque nè limatæ orationis curſum ineptè videar intercidere, manum pono è tabulâ, ad Altare confugiens Regii Pſalmiſtæ precibus,

*Exurgat Deus, & inimici ejus diſſipentur.*

De

*De ſalvo, & incolumi Regis* CAROLI *Reditu ad* Oxonium *ab aſpera Martis Pugna circa Collem*, Edge-Hill, *vocatum, in ampliori Ædis Chriſti Area, Gratulatio* Octob. 29. 1642.

DABIS veniam, Regum *Auguſtiſſime*, ſi deplorata, & propè expirans Academia vix erigat oculos præ dolore madidos, præ pudore ſolo defixos, ad *Serenitatis* Veſtræ lucem intuendam. Proh Fidem! Undique prorumpit immanis belli inteſtini furor, paſſim irrepunt vaſtra, & perfida ingenia, adeò ut de ſalute veſtra ſimus ſoliciti etiam dum loquimur. Aciem inſtruere in tutelam nec penes Academicos, nec fas: imò eò res delapſa eſt, ut nobis inermibus planè religio ſit, circumforaneo cuilibet ſicario cædem minitanti inultas præbere cervices: Ac ſi non vivatur in Regno *CAROLINO*, ſed (quod intimè in votis eſt

est scelere, & egestate perditis) in magno quodam Latrocinio. Præstò tamen est *Legio Fulminatrix*, nimirum densa *Precum* et *Lachrymarum* agmina, quæ contra, nec mare, nec tellus, nec conjuratæ Inferorum portæ attollent cristas. Hæ sunt machinæ *Academicæ*, hæc propugnacula, et munimenta *Ecclesiæ* pro incolumitate Vestra. Adest etiam in procinctu tota *Stagaritæ* cohors, Grex *Aristotelicus*, qui non solum *Intentionali* conceptuum obsequio, sed omni *Rerum* conamine, et totis *Prædicamentorum Classibus* Tuam colit Majestatem Nec immeritò: Quicquid enim Tibi evenit, nostrum est, participamus dolores æquè ac gaudia. Si magno conatui alma pax arriserit, agimus triumphum; sin inauspicatiùs (quòd absit) succedant omnia, res ad manticam venit, actum est de doctrinæ incrementis, et universo *Musarum* populo. Quocirca cum prelii nuperrimi constans fama increbuisset (in quo satis patuit quantam animi celsitatem gereret pectus vestrum mansuetum, et generosum) contrahebantur animi in singultus, et suspiria, nec quidquam nobis sincerum, et firmum supererat præter *Votum* Totos artus invasit tremor, nè spectatissimam *Perso-*

nam

*nam* veſtram, ardentem, et alacrem in *arena* conſiſtentem, Alterum latus Principe *CAROLO* ſtipante, Alterum *Duce Eboracenſi*, nequiſſimus quiſpiam Inſidiator in extremum induceret diſcrimen. Nunc autem, *Majeſtate* Veſtrâ ſalvâ viſâ, in liberiores expatiamur gratulationes: quippe quò magis ſolliciti fuimus ex tuo periculo, eò tuſiùs lætamur tuâ ſalute, & ſic ipſo fruimur mœrore. Quàm ſuſpicimus affectus Veſtri fidem! Quàm agnoſcimus indefeſſam indulgentiæ pertinaciam! Satis mirari non poſſumus favoris veſtri ſtatas vices. Alii eâdem aurâ, quâ ſpem erigunt, deſtruunt; Tu is es, qui, quod dicis, ſtatuis, et ſuperni *Moderatoris* exemplo, atque auxilio, dicendo facis. Officioſi iſtius gaudii penſum imperavit mihi communis *Salutantium* turba, quâ diſtenta fervent atria: aliquam etiam religioſæ mentis victimam immolare juſſit privatæ obſervantiæ conſcientia. Siquidem in iſto rerum turbine placuit Candori Veſtro me perturbatum, & in latibulis abditum extrahere in lucem et ſolem ſpectandæ veſtræ *Clientelæ*: Expanſâ tituli dignitate, indies creſcentia procudam officia, et noſtrum perenne obſequi-

um

um, nec moram agnoſcet, nec terminum. Non eſt inſtituti noſtri orationis curſum productiori filo extendere. Brevitas ſemper grata, in hiſce difficultatibus neceſſaria; ſuperſedebo itáque Rhetoricari, et quod noſtri muneris eſt, Oratoris ſancti partes agam.

*Creſcat Imperii Veſtri Majeſtas, augeatur magnifica Regiæ ſtirpis gloria, ſecundo ſemper veharis flatu; Agri, Urbes, ſingulæ ditionis Veſtræ oræ, ac anguli deponant ſimultates, & in veterem coëant reverentiam: Germinet fides altis radicibus, exiſtimatio foris, Pax Reipublicæ, & opulenta ſerenitas coaleſcant, ac, ut verbo complectar omnia,*

Serus in Cœlum redeas, diúque
Lætus interſis populo Britanno.

Sic Acad. *Oxon.* nomine peroravit

RICHARDUS GARDINER,

Ex Æde Chriſti.

*Oratiuncula præluſoria, priori Editione omiſſa, in ſubſidium admodum Reverendi viri, Domini Doctoris* DUPPA, *Acad. Oxon. Procancellarii compoſita, A. D. 32. cum valetudine adeò incommoda laboraret, ut Comitiis more ſolito Terminum imponendi planè expes eſſet; at fauſto ſydere aliquantulum convaleſcens proprii muneris implevit partes, meq; ingrato levavit onere.*

LUbens equidem in ipſis dicendi primordiis Raucum, et ominoſum illud *conclude* exaudio; nam quid inanium verborum ludibrio diſtenderem periodum? videor mihi murmura literatæ hujuſce Coronæ perſentiſcere, imò totius theatri ora, vultúſque de Comitiorum ſolennitate, et pompa *Conclamatum eſt* pronunciant. Nec immeritò: ſalutare hujus loci Sydus, cœlo,

&

& terrâ conſpirantibus, ſe ſubduxit, ac vos in tenebris reliquit. Et num ex caduca quadam ſtellula exoriatur ſol, aut ex deficiente rivulo dimanet fons? In hac communi orbitate noſtra parietes luctum induant, ſubſellia iſta non periſtromata, & Aulæa exornent, potius pullo & lugubri panno ſint inſtrata, mei, veſtríque doloris Indices. Satis imprecari non poſſumus Comitiali iſti morbo, qui talis magiſtratus ſerenitatem nobis invidet. Si ex Frigore, ut conjiciunt, ſit ortus, quomodò illius corpus invaſit, cujus ingenium adeò fervidum? Gratulor tamen vobis, meæque imbecillitati, limites & cancellos mihi eſſe præfixos. Præ manibus habeo characterem iſtius orationis, quam infirmus Vicecancellarius haud infirmè compoſuit, ſed acri, & vivido mentis vigore. Habeo Characterem, utinam haberem Genium, ut ita cum ſupra rem non poſſim dicere, non dicam infra. Provinciam iſtam exercitatiſſimis ingeniis formidandam, ex præcipiti, & tumultùariò inire fatali cogor neceſſitate, nelcominùs, eminùs peſſimè audiam, ſi anſam teſtandæ obſervantiæ in virum optimè de me meritum nefario quodam pudore, & ſcelerata negligentia in tantis auguſtiis præterirem. Non

Non Artis, ſed pietatis ſpecimen edo; vox ſum, prætereà nihil; non ingenii, ſed memoriæ periculum facio; haud compono, ſed recito. Ingredior itaque in orationem limatam, pondere ſuo numeroſam: Vereor tamen ne per cœnoſum noſtri ſermonis alveum labem contrahat, & ita defæcatus apparatus vertatur in ſqualorem. At non deerit, uti ſpero, argumentum veniæ, mœror enim, quem ex Illius luctuoſa concipio abſentia verborum flumen obſtruit. Vos interim (Auditores) in tam cari capitis reverentiam æquis auribus, animiſque favete mihi pro virili recitanti. ******

# ART. BAC.

ex

# ÆDE CHRISTI.

# OXON.

PROGYMNASMATA.

OXONIÆ,
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impensis R. DAVIS, 1668.

## *Quid times? Cæſarem vehis.*

EN contra Cæſarem numeroſam Olympi cohortem jaculantem Iras; En Cæſarem fragoribus Cœli terminos, Phreneticis Septentrionum filiis leges, & vel ipſi Deorum Senatui compedes imponentem. Fruſtra immugit Oceanus, aut inhorret ſpumantium undarum globus; fruſtra armatas Hyemes effudit Æolus, aut luctantes flaverunt venti, niſi languentia forſan ſua oſtenderent ſuſpiria, Cæſariſque Triumphum. Quid eſt (O Amyclas) cur deſponderes animum? Quid eſt, quòd Echini inſtar Adriatici horreres capillis? Numquid criſpatæ terrent undæ, aut cataractæ Cœli perſtringunt animum? Proh Infœlicem!

*Cauſa hæc eſt ſola timoris*
*Vectorem non nôſſe Tuum—.*

Cæſarem conſulas, qui nec Pelagi, nec ventorum iniquitatem timuit; Cæſarem, qui invito Neptuno Oceanum ſubdidit, & rugoſa diſ-

ſolvit nubila: Cujus Numini debetur quòd ſtellata Jovis ſacraria non occaſum patiuntur ſimul & fatum. Infremuit mare confiteor, adeóque militat Æther, ut fulgure reddi videatur Dies, totidemq; Tibi apparent mortes, quot inſurgunt fluctus. Eſto! ſed qualem tibi ſecuritatem inanes pollicentur Queſtus? numquid Cæſar etiam conjuratis ventis cedere coactus? numquid adeò Impotentes eſſe poterunt, ut nec jubenti Cæſaris nutui, nec horrori Nominis obſequium præſtent? Ideò, fateor, Pinum iſtam ludibrium Pelagi fuiſſe aliquantiſper paſſus ſum, tandem ut oſtenderem Divos in Ipſos non Jovis tantum, ſed & Cæſaris Imperium eſſe. Adeò totum ſpirant præcordia Deum ut trepidas undas, nigroſque ventos vultu compoſuerim, & cùm ab ore meo audiretur fremitus, Axis ipſe ſtrepitum ſenſerit, univerſáque mundi machina contremuerit, tanquã ipſis ſedibus ſtatim revellenda. Nec enim tantùm in dominium terrarum orbis Natus fui, ſed nudum Cæſaris nomen commune ſonavit Diis ſuperis, & Imis Numen. Scilicet mihi parum eſſet in homines regnare, niſi & ipſa Numina vernarum numero haberem. Quid enim alias (præ metu conſpirante

Ipiránte Jove confeſtim ſilet Æquor? aut quid reciprocantes ſub pondere meo gemuerunt fluctus? Sceptrum certè comitatur Divinitas, factáque noſtra reſidentem intra pectus Deum exprimunt. Perares itaque (O Amyclas) Oceani ſulcos, & ſi tumentes undæ Soli tenebras, & tibi naufragium minitentur, à fluctu defendet *Onus*. Perares (Inquam) & ſi Heſperiam Tibi buccatus negaverit Æolus, qui *Æolum* pro *fiſtulatore* tantum habui, dabo *Cæſar*. Aut ſi quis fortè fortuitò ipſo major Cæſare Cœlum incoleret, Crede, noſtra adeò anticipavit vota, ut nobis reticentibus annuerit ſemper. Meritò (fateor) demitteres animum, ſi *Cæſar* in diſcrimen adduceretur; Cæſare enim fluctibus ſepulto, etiam aureum hoc ſeculum immaturâ clauderetur Periodo, atrumque rebus revocaretur Chaos. Sed perpende tecum pauliſper, qualem & cujus fortunam vehis naviculâ. Ipſe Oceanus claſſium mearum memor, (quæ altera quaſi in Ipſo inſula fuêre) ſub cymbâ, Me pondere, olim contremuit meâ, & jam nunc ſtrepitus, quem tu tempeſtatem interpretaris, gemitus Maris eſt; Non enim ſine labore ventorum ferri potuit

tantum pondus. Nec hoc tamen Fatis, Aſtris, & iſtiuſmodi fabulis imputandum eſt, quæ grande aliquid præ ſe ferunt, & ſupercilioſum nihil, ſed Cæſaris Numini, Cæſaris, Qui Aſtra regit Gladio, et ſub pedibus ponit fata rapacia. Nemo Augures, Aruſpices, et hujuſmodi Aniles ineptias frequentiùs contempſit, nec tamen quiſpiam bella fœliciùs geſſit. Nulla viſcera ego pro ſecundo certaminis eventu ſcrutatus ſum niſi Hoſtium, quaſi non ad Hominum tantùm ſed ad Fatorum interitum natus fuiſſem. Quoties enim vacillantem belli fortunam (etiam adverſis fatis) divino animi ardore reſtitui? et quod non auſa eſt finxiſſe Antiquitas ferro meo peractam reddidi. Et quorſum (quæſo) hæc omnia? nimirum, ut totius terrarum orbis *Imperator* Oceani fluctibus ſubmergerer; et qui fata ſubjugavi, *Neptuno* ſuccumberem? Pone iſtos (hominum timidiſſime) fœmineos metus; pone (Præſenti Numine) iſtas Mortalium querelas. Ipſe ego ſum, qui procellis leges præſcribo, qui ventos pro arbitrio ſedare, Imò, quod majus eſt, qui fluctus æſtuantes calcare novi, et contemnere; Dum quo altiùs aſſurgunt iſti, eò propiùs

Ca-

Caput noſtrum ad diu expectatum regnum, Cœlum attollunt. Quin et Dii ipſi Nos incolumes ſervabunt, ut et ſeipſos ſecuros præſtent. Nos enim, ſi fieri poſſet ut undis in prædam dederemur, exutâ ſtatim mortalitate emeritam diu tandem vindicamus Apotheoſin. Hoc Superis probe notum eſt Cæſarem nec in cælis Priorem paſſurum eſſe nec Parem. Quid tremit itaque inconſultiſſimus Amyclas? adverſas procellas timet? Cæſarem cogitet, et pellet metus. Ipſe tibi Nauclerus, linteæ, ventus, et omnia futurus eſt. Nemo enim grande illud Nomen ſecum repetens de ſucceſſu vel dubitavit unquam. Imò adeò abundè ſufficit ad victoriam nominâſſe Cæſarem, ut ipſe vos (Literatiſſimi Judices) jam mihi propitios futuros polliceri auſus fuerim. Suffragia enim, quæ mihi rudi Oratorculo facilè negaturi eratis, dudum ſcio impetravit Cæſar.

## *Mallem Argus esse quàm Polyphemus.*

QUod denso oculorum cingor stipatu, quòd vos (societatis hujus Centumviri) tanquam Argi corpus, bis tamen centum oculis respersum, intueor, videor equidem à confluxu vestro non à fabularum commentis hausisse argumentum. Quin ex inspicientibus Vestrûm pupillis intromissa mei imago relucet, intra & singulos ocellos receptus illinc peroro, próque Argo vester omnis Oculus rhetoricatur. Nolite superscætantem putare naturam, quæ velut feneſtras appendens membris centena lumina corpori uni ingessit: non potuit illa in formandis oculis cæcutire, nec in creando tot luminum opificio deerrare. Quid ni corpus undique oculis vallaverit natura, cui stragem undique insidiantem ostendit fatum? Si membrum quodvis vulneri excipiendo patefcat,

cat, carere non debuit eo, quo se præmuniat, speculatore oculo. Adde quòd secundo exortu passim per corpus partes nonnullæ excrescunt, quæ licet putredine solâ nascantur, deformi tamen varietate pulchritudinem exornant Universi. Quis capillorum sylvam innumeram hinc, illinc fruticantem dinumeret? Quis unguium ignoret fœcunditatem? Excinde, amputa, usque numerosiore fato hæ fæces ingeminantur, & opes ex damno ferunt. Numquid itaque hæc inutilis partium luxuries permittatur in corpore, multiplicari verò non debet venustas Oculorum, qui tametsi nullum in usum nascerentur; nasci tamen debuerant ut spectentur, Oculúsque ipse foret spectaculum majus. Si tunicarum tenuè artificium explores, vix Intellectûs aciem existimes subtiliorem, si orbiculos motu pernici circumactos perlustres, putes intelligentias insidere oculo; solóque conceptu agi pupillam. Illic exiles venæ tam affabri nodo texuntur, ut rerum occurrantes ideas irretiant, sicut muscas aranea solet. Non licèt penitiorem scrutari Oculum, qui se quasi subducit ex oculis, tenebrisque miscetur, nec potest videri illud, quo tamen

omnia

omnia videmus. Quali itaque ornatu corpus veſtirent ingeminatæ hæ partes, quæ vel ſingulæ toti membrorum præfulgent compagi? Fieri non poteſt ornatior fabrica, quàm Argi illa, tot velut ſyderibus conſperſa; in cujus natalem non ſtella una, non unus Planeta, ſed cœlorum univerſa lumina quaſi confluxerunt. Profecto non faciei tantùm, ſed cuivis membro poteſt ſervire Oculus. Etenim quàm certo ictu feriret metam oculata dextra, quando ſagitta trajiciatur ab ipſo oculo, qui dirigit? Quàm brevis foret ſcientiæ perdiſcendæ labor, ſi digiti volventes paginam ſimul fungantur officio oculorum; & diviſo opere membrum omne evadat lector? Quàm inoffenſo itinere proficiſcantur pedes, ſi innatam ſibi lucernam circumgerant? Vellem ego Thoraci lumina apponi, ut non cæco ampliùs impulſu feratur appetitus, nec ductu longo fluentes ex corde lachrymæ quaſi tranent ad Oculum, ſed ex fonte eodem unà & illæ, & Dolor proſiliant. Vellem itidem humeris affigi oculos, ut in aliorum vitia non ulteriùs perſpicaces, videamus tandem Id manticæ, quod à tergo eſt. Si Regibus daretur optio, quis non ma-

maluerit Argus nasci, ut posticas insidias oculato præveniat occipite, & parte ex omni prospiciens, fiat optimum reipublicæ lumen. Rectè igitur custodiam cœli Janus possidet, Cerberúsque præmunit Orcum; non bino Janitoris oculo tuendos se demandant Dii ipsi, qui tandem penitus sunt oculati, nostrisque luminibus vident nos ipsos. Velitis vos (literarum pervigiles fures) Vos, quibus noctem à die sola lucerna discriminat, velitis (inquam) permultis oculorum paribus luxuriare, ut relanguentes alteros quies alterna sopiat, perennésque vigilias transigatis sine collyrio convalescentes. Nôstis quanta morborum copia duos infestat oculos irrequietos, qualis defluentia aquarum suffundit hos lucidos orbes, ipsósque visivos mergit humores, cogitúrque lumen diluvium pati.

Hinc lippientes tandem coempto artis oculo naturæ damna resarcitis; hinc ostendit imbellis senectus, semper ex eâ parte mortem quasi præviam ferens, quàm minimè ad decurrendum vitæ curriculum oculi duo sufficiunt, miserè coacta nundinali vitro vitreum supplere alterum humorem, nasóque apponit oculos, quos debuit natura apposuisse.

Quis

Quis igitur ferat unum ex duobus oculum amputari, ubi bini ſenio langueſcentes, alteris indigeant oculis ut ipſi videant. Quis malit Polyphemus eſſe, cujus deforme lumen tanquam ſpectrum exterret intuentem, & Cyclopis ipſius informitatem devenuſtat. Solis agnoſco jubar unicum, quod radio fulgente ſtellas præfuſcat univerſas, & nimio die luces extinguit minores, at fœcundus ille luminum fons ſibimet ſterileſcit, oculiſque omnibus ſe oculum præbens, ipſe nec videt, nec poteſt videri: neque enim vaſtum ſpectandi organum, quo inhorruit Polyphemus, recipiendis rerum idolis aptum eſt. Quis Naſum Hujus oblongum, totâ facie majorem; quis Labra Alterius pendula, Auriculas aſini, aut denique Oculos præferat bovinos? Præſertim ubi ſola contractior acies meliùs collimat metam, & minori palpebræ vis ineſt acutior videndi. Certè Polyphemi Oculus viſioni ineptus potiùs ſe Speculum aliis intuentibus præberet, quo Argus ſeipſum contemplatus videret quantùm ſinguli Ipſius Oculi intra immane Alterius Lumen recepti totì Speculo prælucerent. Atqui vereor ne pro Oculis perorans ego vos perſpicaces

ſpicaces nimiùm, vos nimiùm Argos inveniam (Auditores.) Expectare nolite ut quemadmodum facundior Mercurius Argum, ſic diſertus ego ſopiam Polyphemum, quem tamen eloquentiâ ſatis inſtructus Ulyſſes ſolo perforavit torre, cujus effoſſum lumen, tanquam Lucerna hæc extincta, (quod fatum orationi meæ deprecor) fætulentiùs expiravit.

## *Expectare jube.*

NOvam vobis non expono crescendi methodum, quâ compendioso saltu devoretis iter, quâ votorum tædia & cruciatus arrepta antevertant fastigia, quâ excogitetis simul & fruamini, satisque ad dignitatem fit invenire quod placeat: sedatos volo animos, castigatos impetus, qui propositam Metæ spectantes gloriam, carceres, & primordia non indignentur, ut cunctantis fortunæ moras inter beneficia numeretis, & in aliquâ saltem fœlicitatis portione ponatis illius apicem nondum attigisse. Subita, & statim tota voluptas aut repentino incursu imparatũ obruit animum, aut pernici avolans fugâ solam brevis præsentiæ tesseram reliquit dolorem: Habeant infantiam suam, & Cunas Gaudia nostra, nuces et crepundia ostendãt, ut minutiis hisce prælibata, & prodroma, quasi in germine solatio percepta irritent ani-

animum, & dulci tormento amabiles excitent cruciatus. Ubi ſine incremento naſcuntur adulta, ubi matura erumpunt, ubi lenta non veniunt, ſed præcipitia ingruunt, fulminis inſtar ipſâ celeritate conſternunt. Ferulâ nuper exemptis, & a Ludi-Magiſtro adhuc rubentibus, ſerica non indulget Academia inſignia: Ludibria eſſent non præmia, luxus potiùs quàm honeſtamenta, ſi in ipſo ingreſſu vix dum compoſitis induenda permitterentur: Lucubrandi dies, evigilandæ noctes, ferenda multa, agenda plura, ut ægrè tandem rogare liceat; adepto ſiquidem honori pretium facit Mora, & difficultas. Neſcit ſua commendare beneficia, qui ſine procœmio donat, qui ſupplicantem non patitur, qui feſtinâ liberalitate munus præcipitans ſecundas preces anticipat: Gratius eſt quod inter manus dantis diu hæſit, quod vix extorquetur, quod reluctanter contractâ demittit dextrâ tenax Patronus. Qui ſine prævii examinis judicio inconſultè ſpargit, qui nullas facit roganti moras niſi dum donat, hoc facit ut prodigus potiùs audiat quam Liberalis: Flexo ſupplicantis gemu indignũ videtur quod non anxius collocat dominus, quod in tranſitu,

ſine

ſine curâ tanquam aliud agens incautè projicit: Optimè dignitati ſuæ conſulit Aula, ubi longum amplioris ſuperbiæ panditur ſpectaculum, ubi preces tanquam teſſera militaris de aure ad aurem traduntur, ubi ſæpenumerò magni conſtat tandem negari, ubi donare arcanum eſt, & grande myſterium. Sed eſto, facili benignitate primo rogatu monitus tantùm annuat patronus: Humanitatem fateor videmus obviam, at ſedatum donandi judicium prorſus deſideramus; Infirmæ rogantis fronti ſimul & neceſſitati probè conſuluit, ſolennem tamen beneficii molem, auguſtum favoris pondus non intellexit.

Fidelia quippe & genuina magis ex arduis gaudia: quæ oſcitanti ſeſe in ſinum ingerit importuna fœlicitas, familiari dignata hoſpitio, elanguente ut plurimùm excipitur pectore, dum paulatim ex præſentiâ moroſa irrepat nauſea, & delicatum faſtidium. Dic Amator, annon ardentiori deperis affectu, ubi oppoſitis foribus eluſa ſæpiùs fruſtratur Cupido? Annon humanitatis partes inhoſpitalis præſtet repulſa, ubi hoc ipſum invitat aliquando, Non admitti? Annon acriùs animum prædatur, quæ contemnit, quæ procantis

cantis quæstus imperiosâ aversatur protervià? Annon pares tendant illecebras, forma, & indignatio, fastus, & pulchritudo? Dic indulgens Puerpera, annon Infantem, inter Cunas & Crepundia avidius oscularis? Annon arctius amplecteris ubi in incude positus matura nondum attigit profectus incrementa? Cum adhuc nescis, an, fatis ita volentibus, illæ sceptro superbiant manus? Cum adhuc nescis, an puerilis vitta in Tyaræ decus, & astringentis fasciæ sordes in laxioris purpuræ splendorem destinatâ transeat majestate? Dic, Amice, chariórne tibi Pilades tuus cum promissi fidem non coronat tempestivi reditûs fœlicitas? Tunc opinor verè desideratur; defæcatus quippe piissimi pectoris affectus se ostendit, ubi urgent pericula, ubi dubium, & suspensum torquet amittendi metus. Agricolam intuemini, quàm sinceras, quàm frequentes ejaculatur preces, cùm in fœlices sepulti seminis proventus propitiũ exoret Numen! Quàm veras effundit Lachrymas, cùm in sitientis soli refrigerium pluvium deposcit Jovem! Quàm inficta emittit suspiria cum leves imploret Zephyros, mollésq; ventos! Quàm pronus incurvatur, cùm fœcunditate suâ op-

 pressa

preſſa ſeges, veneranti & Ipſe ſimilis gravatum inclinet caput! Tam pertinacem cultum miramini? Adhuc expectat Agricola, adhuc benignioris Cœli clementiam immatura Ceres deſiderat: At ubi jam tutâ meſſe referta intumeſcunt horrea, ubi inimicam Nimborum non formidat rabiem, nec ſerenam Cœli ſperat faciem; poſcuntur Calices, pro lachrymis libantur vina, & anxii pectoris ſuſpiriis lætioris culinæ ſuccedunt fumi, eâdemque incuriâ in proximum annum falcem ſimul ſeponit, & religionem, tanquam exoratum Numen cum votis indulſiſſet & impietatem. Habent hoc omnia beneficia, ſperata pios, accepta profanos efficiunt; Unica ſcilicet ingratitudinis cauſa eſt obtinuiſſe: Otiatur Gula ubi ſtatim videt quicquid vincendum eſt. Tum ſuas ſtrenuè agit partes cum præliminaris antecœnii illecebris exuſcitatur: pleno adblanditur gaudio illa ſolùm genialis Convivii pompa, quæ Comædiæ ſimilis interſtitiis ſuis laſſatam revocat Voluptatem, quæ ex morâ, & cunctatione duraturam magis accerſit lætitiam. Quæ Plebeiis, obviiſque quotidie pateſcunt oculis, ſecuro negligentes tranſimus pede, tanquam vix otioſos tranſverſi luminis

rotatus

rotatus mereantur iſta, quæ ſemper poſſint videri. Inde Perſæ Regem ſuum majori penè quàm ſolem ipſum cultu,& ſtupore venerantur, quòd myſterii inſtar vulgaris oculi contemnat audaciam, quòd nunquam niſi tecto prodeat Vultu,& tunc etiam cum videndum ſe præbeat, cerni non poſſit. Inde Oraculum civitatis Juriſconſulti domicilium eſt, quòd affectata ſolitudine, ſecreta, & receſſus, tanquam antra, & cortinam captantem dominum frigeſcens ad limen Cliens ſine morâ non adeat; quòd poſt longam frigidi Jovis patientiam Mercurium hunc nec gratis detur ſalutare. Optimè famæ ſuæ conſulit, qui conatus reprimit,qui exantlatos ſudores in publicum emanare prohibet, qui tanquam Decumanum aliquod limatioris ingenii Opus quotidiè præparans, Columnis minitatur ſemper futurus Lector: Adeò quod in fluminibus evenit,profundos ibi ſuſpicamus Canales, ubi alti gurgitis periculum nullus profitetur ſtrepitus: ſic maximè Oratorium evadit aliquando tacere; multique eo ſolùm nomine grandis ſcientiæ opinionem lucrati ſunt, quòd nihil unde innoteſcant præſtiterint. Dum intumeſcunt Montes, dum parturiunt aliquod

ipſis ſimile magnum & ſtupendum ſuſpicamur (adeò miraculi ſpecimen penè induit quod expectatur) partum tamen tanto undiq; hiatu captatum, riſu & contemptu excipimus. At Ego, dum vos virium veſtrarum famam apud alios retinere, domi meas (fateor quàm nullæ ſint) oſtendi, quas ut ampliori argumento ulteriùs non prodam, in poſterum jubeo expectare.

*Zaleucus*

## *Zaleucus, cùm Filio adultero unum eruit Oculum, ſibi alterum, Legi ſuæ Non ſatisfacit.*

VEREOR, Auditores, nè teneris auribus paterna nimis adblandiatur manſuetudo, nè vel eodem æſtimetis animo Damnandum mox Oratorem veſtrum, (laturum utique de ipſo Judice Judicium,) quo & patrem Abſolvendum. Indulgendum eſt utcunq; ſuas Genitori, veſtras & vobis etiam Fibras; debuerat tamen, ſi non aliud, certè vel nimius æſtuantium affectuum ardor petulantes Juvenis oculos abſtuliſſe. De ſacris adeò venerandiſque deſcendunt Amor, Lenitáſque primordiis, ut facinus arbitrentur, piâ licèt crudelitate, extirpandum. Severiſſima quidem Lex eſt, po-

teſt tamen enorme ſcelus inhibendo & Amoris aliquid præſtare ipſiſſima ſeveritas. Miſererer equidem ſenectutis miſerrimæ, blandirer ſenii calamitatibus, quòd grave foret Filium exoculâſſe, niſi gravius audiret turpioris Impietatis feciſſe gratiam. Mollitie parentum quoddam glorioſius, altiúſque Zaleuco peragendum, nec proli ſuæ, ſuiſque viſceribus flagitio patrocinandum tutelari. Meritò nimiùm de progenie ſuâ exiſtimat, quem innatæ teneritudinis potentior Suada, quem ſecretioris virtutis illecebræ non intellecto ſubjungant triumpho. Scelus quidem eſt odiſſe ſobolem; Amor iſte vel ipſo majus odio Scelus eſt. Quieſce pauliſper paterni favoris importune impetus: recedite Natura, Sánguis, pietas, areſcentibus exhauſtarum reliquiis lachrymarum: vóſque ſuaves Liberorum Affatus, querimoniæ, trepida ſuſpiria, palpitantes anhelitus ſilete. Moderanti faſces, Magiſtratum obeunti paternus in Exilium mittitur animus. Oblivione ſacra ſubeunte amica pereant Nomina propinquorum, nec in præſidium Culpæ Naturâ vocetur. Cæterum excogitavi, inquit, Quemadmodùm & Legi meæ ſatisfaciam, & Civi-

Civitati; uniûs pœnas in utrumque diffundam; Filium, Sanguinis, atque Animæ portionem, meo vulnere caſtigabo. Imò verò non ſic Legi ſatisfacis, non civitati, ſic illudis Ingenioſo ſupplicii commento, ipſis etiam palpum obtrudens, totis licèt in ſpectaculum effuſis, Locrenſibus. Dum ſententiam profers ambiguam, bifidámque, nec unam in unâ, patietur filius pœnam omninò colluſoriam, aſperiorem tantùm ſupplicii dimidiati veniam. Non hoc punire eſt, ſed ſeverius aliquantulùm Remittere, & expectantibus (qui charos ſuorum oculos olim extinctos vidêre) jus fáſque parentibus, ipſe pendulo ſuſpenſus æquilibrio, dubius an pater audires, an Civis. Jactare potes Populo, punviſſe; Filio, te condonâſſe. Egregium tu quidem patriæ Majeſtatis officium præſtas! Adóne verò te ſuſtines è ſacroſancto protupari Tribunali Lenocinantibus paternæ faciltatis illecebris? Strictiùs, acriúſq; in delicta quaſi Conſanguinea animadvertendum. Agè, Pater, vocat te fama, increpa rumorem, & ſuſurros Locrenſium; depone, Zaleuce, epone privatum, teipſum exue; Filius ille, quia tuus eſt, non eſt Tuus, ipſa tibi non

præſidio, ſed damno proximitas, rebúſque in diverſa coactis, ſervandum probas Adulteri Lumen quòd non meruerit ſervari. Ambigamus exinde magis Filius, an Pater Improbus; Improba ſanè patris vel Pietas illa, quæ Locrenſibus ſuis non impendet nocentia filii Lumina: Noli tamen, rogamus, tanto fræna furori remittere, ut teipſum luce viduares, niſi quæ ſunt in filii mores jamdiu Libranda tela in tuam amentiam retorqueas. Nihil in patre cæcũ volumus præter Affectũ paternum. Quid juvat teipſum excæcâſſe, Niſi tuus ille dolor ſuccedaneus, vicarius ſanguis, in ipſius tormenta cederet, & cruciatus? Percutiatur ideò natus: ſolennior mos eſt clauſiſſe natorum Lumina malè ferata. Auſim dicere, temerata facies vel ex horido ſpecioſum aſſumet decorem, ſuis ſplendorem de tenebris uiutuabitur. Qualis clementia eſt perituro parcere oculo, ut in Conclavi, & Gynecæo fuſos tractantes videat, ad acus remolleſcat, & Calamiſtra. Et quid, preco, amplius admiſerit, cùm vel geminos nupe orbes hiſpidus ſuperciliorum coronaverit arcus? ſortitur & adhuc fidum ſatis nequitiarum Conſiliarium, Igneâ fruitur ſolitarii Luminis

In-

Indole in Antro ſuo vigiles peragentis turpiſſimi criminis excubias. En agilem uſque vigorem! En vegetam aciem! unámque ſublaſcivi oculi flammam funeſtiorem in vultu toto rutilantem ſimul,& procatricem,præludentem ſceleri,& perpetrantem,mortuas Hymenæi Faces accendentem pariter, ac penitiſſima cordis, medullarúmque ſecreta depopulantem! Ignes intueamini obliquato,& amatorio tremore circinantes, Imò in uno illo ocello, vel mille luxuriantur Adulteria. Dulcium credatis vel Thalamum amorum non alibi molliùs quàm ſub Nativâ unius palpebræ Cortinâ recumbentium. Sidera ſunt Oculi adeó verè Gemella,ut uno eruto,& Occidente,è Fratribus alter alterius vires colligat,gerátque Provinciam. Oculatum ideó, Pater, filium habes, ſed & Caligantem, cæcutientémque, & ſi non Caſſum Lumine, captum tamen, ideóque impingentem, quòd non viſu deſtituatur. Furorum fomite laborat, Oculo, non Itineris, ſed errorum Duce temerario, Omnique cæcitate moleſtiore. Adeò leve utique Lucis, & Diei damnum eſt, ut quotidiè patiamur, nobis inter Somnium, & Vigilias noſmet partientibus. Ipſæque

Tem-

Temporum vices è ſuâ etiam Lege, lûce ſolent alternatim viduari: Cœlorum fulgentium veneranda Facies tanquam laxiori nigræ Cæcitatis ſimulachro, ſtagnantibus Nebulis, & umbroſâ involvitur opacitate. Adeò ex parte ſui vel Cæcam eſſe naturâ advertamus. Imò hoc unum reſtat tibi, infelix adhuc Juvenis, malè moleſtum, quòd nondum videre deſiiſti, nondum obcæcatur inverecundus (pudet dicere) Zaleuci filius. Quid enim viſurus es? Tuum in ore paterno vulnus, crimen tuum: ſtigmata viſurus eò graviora, eò infami magis exarata charactere, quòd non alieno duntaxat, ſed & tuo conſpectui abſque omni patebunt niſi nativo ſpeculo. Ex hoc tempore quàm innocuus potes paternum vultum interrogare. En omnia exigunt non unum Juvenis, ſed & alterum Oculum! Effodiatur ideò ſcelerum artifex ille, animíque Leno, conſcius adeò ut ægrè ſe ſedibus retineat ſuis nictanti circumrotatus mobilitate. Eâdem exeat libido, quâ intraverit Januâ. Molliores oculorum Cunæ, illáque ipſa, quibus Agitari ſolet Amor, incunabula in buſta migrent, & ſepulturam. Flammâ ſuâ liquefactum, ſuis tædis luſtratum oculum litemus

Ve-

Veſtæ, pudicitiæ victimam. Quid ſi triſtia cadentium lichrymarum fluenta, fætus effuſi cruoris Imbres cognata concomitentur lumina, Hâc tandem ratione purpuratæ genæ diſcant erubuiſſe? Et ut corruptela omnis per uda guttatim effluat ſtillicidia, efflendus eſt & ſodalis ſcelerum oculus. Suam licèt exinde amplectatur Juvenis, ſed ſub Nube, Deam; animati Globi & altera etiam verſanda plaga fideli Indagine. Hærentes in vacuo vindices manus non niſi cavos receſſus, inanis ſinus relinquant latebráſque, ut cùm vacuis mox orbibus lucidum Cœli Oculum luſtrare conetur, perpetuis tenebris cooperta Facies Noctem experiatur, ſibi velamen hactenus, & operculum, ſuiſque demum non indignum Flagitiis.

*Protinus*

*Protinus ad cenſum; de moribus ultima fiet Quæſtio.*

NE mihi vitio vertatur (Auditores) ſi beneficia veſtra viſcata eſſe dixero, fortunæque irretientis non tam munera, quàm inſidias. Haud Oſtraciſmo digni, qui fictilibus uſi ſunt, ſed argenteis. Cavete vobis, qui impalleſcitis Chartis, qui plus olei, quàm vini abſumitis, qui adeò rimamini naturæ viſcera, quaſi Illi à ſecretis futuri. Cavete, inquam, nè Philoſophorũ Lapidem inveniſſe audiatis: neque enim virtutem ipſam aureo charactere inſignitã patitur cæcutiens Quiritum metus. Rutilus auri ſplendor eſt, per quẽ tantæ indies, & tam occultæ pateſcunt machinationes. Scilicet jam tandẽ oculata eſt juſtitia, ſed malè oculata, ſed lippa; Corpora non ſentit niſi aliquantulũ luminoſa fuerint, & irradiantia. Nigrantes vitæ labes, caliginoſã vitiorum ſentinam nunquã cernit, nunquã animadvertit, niſi fortè candidi, fulvîque metalli quaſi illuminetur radiis, & fulgore. Quantum quiſque ſua numerorũ ſervat in arca tantum

tùm intus & perfidiæ recondit pectus. Febribus tutior eſt,& peſte, ut Pandoræ olim,quã auro repleta pyxis; In illa aliquid ſpei ſupererat,in hac nil niſi metus,& deſperatio: ſinguli denarii novum crimen objiciunt, novum cruciatum, ipſæque jam drachmæ Equites fiunt Aſiani. Quippe Romæ Domini tot ſeſtertia poſſidentes mendicantiũ ordini adſcribendos volunt,non Equeſtrium;atque ut omni quod verè Romanum ſapit planè Antipodes eſſe dignoſcantur, quò ditiores eò digniores judicant vinculis, Tulliano, Eculeo; neq; jam amplius Cenſorium gradum aſcendit Cenſus, ſed furcam,& patibulum. Sic tria ſunt capitalia facinora, Nummi, Nummi, Nummi. Quot paſcit oves,quod poſſidet agri jugera,nil plus interrogant Triumviri, & Decemviri. Harioli noſtri(utrum ab Hara,vel Ara dicti dubiũeſt) non ex Avium volatu ſed pecorũ, pecudúmque gregibus vaticinantur. Ranarum viſcera non inſpiciunt ſed oves;harúmq; non exta & tomacula,ſed vellera,& pinguedinem:Hoc unico à Magis & veneficis diſcrepantes, quòd hi plerúmq; ab expanſa manu, illi à diſtenta crumena divinationẽ faciunt;nempe hoc perpetuò in mandatis habent,parcite criminibus,

dicite

dicite de opibus. Aras fateor clamitant, sed focos petunt. Circumspicite itaq; Mercatores, magis ac magis increscit tempestas; At quorsum vota nuncupatis? quem in finem Venerē ad rerum vestrarū tutelam invocatis, & Neptunum, cujus tridentem, credo, quia fuerit deauratus, immitior dudū absorpsit gurges? Preces nihil juvāt, aut lachrymæ; exonerate naves, pretiosas illico abjicite merces, Balænæ Romuli non ludunt vacuis cadis, respicient forsā hac tempestate crumenas: sic diripere, & diripi sæculum vocatur. Homo homini Lupus, homo homini ovis: omnes enim sunt vel lupi, qui lacerant, vel oves qui lacerantur. Jovis fulmē proceras tantùm deturbat arbores, intactis interim noxiis, & humi serpentibus tribulis obtortis, & vilioribus arbustis: Illius fulgur vaginæ parcens gladiū solvit, & quicquid invenit metalli. Circumspicite, moneo, Fœneratores, & saluti vestræ cum dispendio rerum consulite, (nisi forsitan cum rebus malletis interire) quisquis pecuniarū vascula habet recondita, satis reus ut cū Palamede peragatur proditæ patriæ conscius. Thesauros vestros carbones invenietis, aut restē; & licet longo labore cumulati fuerunt, subitū tamen sunt illaturi exitium;

exitium; siquidem plures congesta pecunia strangulat.

Quo tata loco possint excludi? *Aut ubi mors non est si jugulet is opes?* Frustrà sepeliuntur gemmæ, frustrà ad viscera terræ secundò demittuntur aurum & argentum. Cacodæmones circumforanei non possunt non odorari illa, quorum principium seminale est sulphureum. O paupertatis quàm ignotum bonum! Cùm classicum canit, scit se non peti: cùm citantur nocentes, scit se non accersi. Si quis libertate fruatur, & placidâ quiete, aut pauper sit oportet, aut pauperi similis. Istiusmodi Animalculis faciliores sunt Divi Capitolini, Libum immolari non exigunt, nempe solis gaudent Hecatombis. Adeò ut si vivis iterũ redderetur *Curius*, non ut exemplum temperantiæ viveret, sed philautiæ, victurámq; per sæcula parsimoniam iterum exerceret quoniã amaret vitã, non quòd nausearet monetam. *Fabritius* oblatas opes non respueret tantùm, sed quasi oblato *Medusæ* capite perterritus, reiiceret. Turba Remi ad felicem, divitemq; concurrit, quemadmodũ Ferarum agmina ad lacum, ut turbent scilicet, & exhauriant: malunt divites esse, quàm divitibus imperare. Et sanè

non

non Injuriâ: Quiſquámne ſanæ mentis compos miratur, ſi ut optimo veſceretur gramine, ſi ut fertilioribus luxuriaret pratis, obſtantes undiq; proculcaret ſepes & terminos ferociens equus? Hiſcit nemo cùm pinguiorem bovem ad macellum tradi intueatur; licet optimè ſaginatum animal ſemper ſub cultro videt, licet denique Pomarium, quo feracius eò ſæpiùs amputatum cernit, & fructum unà cum ramis aſperis, & furtivis manibus excerptum, dilaceratúmq;. Sic enim et nutrimenti pecus reum eſt, ſic fertilitatis arbor. Fœcunda jugera continuò terunt raſtra, et aratra lacerant. Quàm omnibus vulnerantur telis exuberantes fortè aurifodinâ glebæ? et quaſi malignâ, ut vocant, febre laborarent, totis venis quodammodo phlebotomã patiuntur. Adeò nihil pulchrum in tuto eſt. Nemo bonus felix, nedùm aureis metris, argenteæ nedũ ignoſcitur eloquentiæ. Animos tamen attollite, licet depreſſo capite, licet inclinata vertice, animos tamen attollite. Datur ad philoſophiam, imò ultra Philoſophiâ ſine viatico pervenire, jucundiora tempora pauperes habebimus, et coram ipſis Centumviris vacui cantabimus.

Puer

*Puer Lacedæmonius nondum ex lege vocatus ad Pugnam, periclitante Patriâ, in Hoſtes irruit; Vicit; ad mortem damnatus defenditur.*

MIlitem contemplamini (Judices) omnium, quos unquam Victoria coronavit, Miſerrimum, at illorum, quos miſeros virtus fecit Innocentiſſimum: Nunquam fui liberioris ſpiritus, meique Dominus magis, quàm cùm Pugnarem, nec unquam tam miſerè mancipatus (vitæ meæ, vel libertatis parum victor) quàm cùm viciſſem. In hac tamen utramque ſortem excogitantis in me fortunæ violentiâ, relicto Hoſtium terrore, non majorem metum excitâſſe animo putetis Præſentiam veſtram, aut me genibus nixum in ſingultus pueriles, lachrymáſq; miſerandas facilem, & proclivem fore, quem tam feliciter belli furor pertranſivit. Facinus ſit Candorem veſtrum Hoſtibus meis tetriorem expectare, aut crudeliorem pugnam cum moribus eſſe domeſticis quàm cum rabie Tumultuantium. Objicitis mihi indubitatas normas, vindicéſque Pueritiæ noſtræ antiquas leges, quaſi æternum hoc lex eadem non prius aſſequendum mandaverat,

Reipub. Benefacere: fruſtra conſulimus legum Tarditatem, ubi & vos Ipſi fatemini acceleranda fuiſſe Remedia; ubi agilis noſter, nec tamen inconſultus animus moram æquè dedignatur, ac imminentem Ruinam: nec multùm intereſt æſtuanti militi, Hoſtibus, an lege ſit vocatus, ſi ſuperaverit. Proh excors, & ignava lex, quæ mortem pugnanti ſtatuit, qui non potuit non Pugnare! Vincenti, qui nec non pugnando Vincere. At pereundum quòd adeò puſillæ ætatis Puer adhuc ſim: Eadem certè lex, quæ Pueros jubet occidi, mandat ut Protegantur fortes; & ſi virium mearum dubii hæreatis, perpendite paulisper noviſſimam victoriam, militéſque omnes legibus, & Gravitate veſtrâ ad pugnã deſignatos; nec quenquam credo, vel virorum veſtrorum altiùs potuiſſe aſſurgere, quàm Pugnare, & Vincere. Si Puer ſim, quare non peto ut Temerarium, inconſultum putetis, niſi & celerior Victoria par veſtrûm fuerit Conſiliis? non oro ut afflictum, miſerúmque exiſtimetis, niſi & probaverim memet feliciorem Vitam amiſſurum, quám Patriam; Patriam iſtam, (audacter, & ut Militem decet, loquor) quam vos hiſce veſtris ſententiis penitùs everſuros video. Quis enim

enim dubitet quàm tenuî affectu Remp. defendere voluerint, qui mihi moriendũ dicunt quòd defendi, etiam cùm victor evasi. Sed quòd altiùs imis hæret viscеribus meis, puer usque appellor: Interrogetis obsecro Hostes meos (quos non puto Crepundiis debellatos) quantus pugnando vir sim, qui vulnera toties mea non sine Victoriæ dispendio senserint ferendo. Testor tot Bellorum animas hâc manu subitò consternatas, testor Captivos Meos, Vósq; astantium quamplurimos oculis saltẽ, votisque pro Patriâ pugnantes, quanta Ipse fecerim unicus, quæ fatum Puero vel spectanti incuterent, & hæc omnia Puero duntaxat peracta creditis? Tanta herclè

*Non potuit Tenui Præda sub Hoste mori.*

Juvenis, Adultus, Vir; qualia ista vacua, & ignava nomina, nisi illorum, qui tot annos strenuè fortassis perdiderunt? quales, si me non fallat militandi peritia, Ipsi noviſſimo bello fugaverim: Puer unius ob corporis exiguam molem nondum ad Arma vocatus, potuit tot adultis, tot viris (quos lex ipsa Milites sanxiverat) fortiorem se præstitisse: procul hoc esto à Lacedæmoniis opprobrium, ut vestris cum nõ minor militibus dimicaverim,

Me Puerum nominaretis. Quis, precor, noverit Puerorum ardor diſparſas hinc inde Phalanges tam inconſultò reſarcire? quis exilis furor obrutas,& everſas turmas tam facilè redintegrare potuerit? Scitote, Judices, quicquid facimus,quicquid in pugnâ patimur, Virorum eſſe. Sed ſi impendentem Patriæ ruinam ſeriò perpendatis, (hoc enim non parùm mihi defenſionis ſpondet futurum) fateamini ad tantam perniciem pulſandam nunquam magis Cohorte etiam puerorum opus fuiſſe: Ingruerunt rapidè Armorum denſatæ acies, ipſáque Patria diu periclitando laſſata, penè ultimò anhelavit: Et quis hoſtium non in vos ipſos nunc pariter deſæviret, ſi probè læſam Tribunalis hujus Majeſtatem non ipſe vindicando par forem? Quis decertantium hanc ipſam ſententiam in me æquitate plus nimiâ prolatam,in me,inquam,per quem vos uſque Judices manſuri eſtis, non retorqueret in unumquemq; veſtrum? Miſerum me,qui hæc ora Mei periculo defendi, quæ Me omnium primum facinoroſorum morte mulctandum proferunt! Sin hoc ipſum levius quoddam fato, veſtriſque Tormentis minor fuit Pugnandi audácia; indagare liceat quid ante tam perditè

ditè, tam flagitioſè, tam impiè patraverim, ut nunc mihi pereundum foret quod Patriæ Benefecerim? Revertimini, Judices, in Pueritiam veſtram tanto Candore, & ſimplicitate tranſactam; vel ſi quid propiùs velitis, conſulite hanc ipſam veſtrum omnium ſeram ætatem, in puerorum ſpero innocentiam jamjam redituram. Sciatis pueros, quanticunque ſint, ad ſimplices, & parum deviantes impetus nimis anguſtos quidem ut digna morte molirentur. Quid igitur feci, quid commiſi, præterquam quòd nondum Adultus, nondum ſat Malus vixerim, & non eò periculi ventum erat, ut ad Rempub. reſtituendam Milites impudicos & nefandos fuiſſe oportuerit? Me quondam gymnaſio ſtrenuè certantem Coronâ, memini, donaverunt, & hoc puto meæ jam vertunt ambitioni quod hujus victoriæ vaticinium, Coronam acceperim. At quò precor tendunt præmia veſtra niſi me fortiter Domi pugnantem in altiora eveherent? quid ſupereſt victis omnibus gymnaſio adoleſcentulis, quàm ut viribus meis pares in Hoſtes irruerem? nec minora credite quenquam potuiſſe veſtris pridem manibus Coronatum. Quid igitur ſubtiles eſtis in deprehendendo

ſcelere, cùm vos ipſi rei ſitis in admittendo? Eſto tamen, tota, ſiqua ſit, in me Unicum transferatur Vincendi Macula, Rubor omnis genas tantùm noſtras, non olim ad Hoſtium globos, minùs ad Judicia veſtra palleſcentes, diffundat; nolo Participem Pœnæ meæ, quē non Culpá ſors priùs indigitaverat æqualem. Si hoc Crimen judicetis quòd Puer fuerim, Moriar, nè redeunte exercitu hoc illud denuò facerem victurus; ſemper enim Patriam vel quâvis ætate defendendam duxi. Si quòd Pugnaverim ſcelus audiat, occidar, ut ſic fortior Reus ſim quàm cum Abſolutus: Sin denique facinus ſit quòd Victor evaſerim, adferte Tormenta veſtra, dulciſſima Victoris Præmia, ut qui ſacrata Jura, legéſque furentium faucibus ereptas Pugnando ſtabiliverim, æquum cenſeam ut iiſdem vel Moriendo ſatisfacerem.

## *Nolo inter convivia philoſophari.*

MIRARI ſatis non poſſum quid in mentem venerit Adverſario, quòd divinam Philoſophiam tantilli faceat, ut cœlo natam in culinas, popiná ſque, inter pocula, & patellas relegari velit, in cœnæ ſuæ partem phyſicam, & metaphyſicam habiturus. Egregiè ſanè tam diu in Aulâ hac, quaſi in arena philoſophicâ deſudavimus, ſi tandem in dimenſa tranſeat ipſa diſputatio. Ponatur in patinis cœna, ſinguli Ariſtotelis tomi pro diverſis Ovium & Boum artubus miniſtrentur, commentarii condimenta ſint; diſcumbas precor, quin comedas: placet Armus, Tibia, Pectus? en tibi opiparè parata omnia; famem ex tuo Stagyrita, ſi poteris, pellas. Ego interim obnixè peto ut aliquid mihi de naturæ deliciis carne, piſce, aut fructibus dari poſſit. Hæc comedo, digeróque: poſce tibi aliquid, per me licet, de Tauro cœleſti, ego portionem ex

mullo iſto; inquiras interim num piſces iſti zodiaci mulli fuerint, aut ſalmones, in viâ lacteâ narent necne: Dum hæc cogitas, Genio meo, & mihi indulgeo. Satis Arithmeticæ conſultum puto, ſi vel digitorum ope numerare poſſim

*Nævia ſex cyathis, ſeptem Fuſtina bibatur:*

méque abundè in hiſtoriâ animalium verſatum credo, ſi noverim quænam elegantiùs ſapiant feræ, ſeu elixatæ, aut aſſatæ placere ſoleant. Peritus ille Geometer, qui ſtomachi ſui menſuram deprehendat, poculique magnitudinem uno poſſit hauſtu commenſurare. Anatomicus optimus: qui Gallinam, & Perdicem artificioſè poſſit diſcindere, quíq; ſaporis melioris portiunculas, non qui venas, & arterias, rimari noverit. Muſicam ex omnibus quidem artibus ad menſam libentiùs admitto, ſed illam levem, & aeream, quæ ad riſus, jocòſque invitat, non ad lachrymas. Abeat lugubre Barbiton ad feneſtras Amaſiæ faſtidioſæ, querulas notas effundere idoneũ: Adſit mihi fidicula, lætiúſque ſonans fiſtula. Dum patinis intentus; non ex iſtis ſum, qui garrulâ prurientes loquacitate, liberum epulatum conturbant genium; quicquid à convivis dici-

dicitur negant, rident, contra disputant, producunt dilemmata, sorites, & nescio quæ logices portenta. Ex quadrâ, & orbe, circuli quadraturam probare conantur, citant Aristotelem, refutant Platonem, hæc omnia, plurimáque alia magis absurda inter convivandum recitantes, cibis, majorem convivis afferunt nauseam. Rhombus si in mensa sit, statim de Rhomboide, & Rhombo disserunt. Arripiunt in manus lucernã? quomodo lux per medium diffundatur inquirunt, utrum in instante? ut ut pereat? & tenebricoso discursu luci ipsæ noctem inducunt, totamq; cœnam horrendis spectris Generis, Speciei, Formæ, Materiæ, et sexcentis ad terrorem quasi effor natis terminis adimplent: hoc sibi satis gloriæ esse putantes, se ex omnibus plurimum, intempestivè licet, & inconditè, sine sale, sine sapore effutiisse.

Abeant jam Bibliothecæ, diruendæ inutiles scholæ, & in culinam secedendum. Cœnæ nidorem percipere majus mysterium illis videtur, quàm sub bicipite somniâsse Parnasso. Sed altiùs ista (bonâ vestrâ cum veniâ) repetamus. Cujus sectæ sunt isti mensales, & ventricosi Philosophi? Peripatetici esse non possunt;

possunt; hi in τῷ σεμνῷ ambulant, non in cœnaculo discumbunt: sunt ne ex Stoicorum familia? Illi olera volunt non convivia. Cynici tandem opportuni admodùm cœnâ jam finitâ convivæ futuri sunt, ut ossa inter canes sibi familiares corrodant. Epicuri de grege porci? Illius assectæ fortasse esse possint, sed illum non tam inter epulas philosophari dicas, quàm epulas esse philosophiam. Dum Aristippus quasi ex Tripode, & delitiarum Arbiter Petronius, oracula propinant. Auditores sunt palatum, guttur, Æsophagus, & quasi ex superiori subsellio, magister Artis, Ingeniique largitor, venter. Sed quid Auditores commemoro? cùm neque venter, neque alia edendi instrumenta aures habeant. Sed sectam agnoscimus. pro comperto est eos medicinæ nuncium remittere, quæ distinctim officia sensûs & intellectûs præstari velit. Quis sine salutis dispendio corpus simul pascere poterit & Intellectum, eodem tempore ex Castaliis fontibus, & Bacchi doliis propinare? Tempestivè admodum Intelligentias divinâ philosophiâ imitari conamur, quando cum ferarum viliſſimis ventrem farcimus. Inter putrescentes, nauseámque promoventes ollas accuratiſſimè

tantùm

tantùm de nauseâ, & putredine differemus. Delphinum in sylvis appingunt, aprúmque mediis ludentem fluctibus; homines Dædalæâ arte volantes, aves in terrâ serpentes: Invertunt naturæ ordines, gulam, & Intellectum unà reponunt Sede, capútque in stomachum detrudunt.

Sed nè in Adversarii castra transiisse videar, Ille in cœna disputet, Ego non sine fastidio à cœna longiùs perorem. Nil tamen est, Auditores, de assensu vestro quòd dubitem, cum apud Peripateticos verba faciam, non Deipnosophistas.

## *Volo inter convivandum philoſophari.*

VTINAM & is eſſem, qui argumenta huc probè contorta proferre poſſim; Non Judicibus caret, nec loco, nec tempore Philoſophia, in Oratore tantùm defectus: Nec impediunt lances, patinæque; non calices, menſæve, quin hæc ipſa inter cibaria, & edulia philoſophemur. Nomina, & voces non pendent philoſophi, nec intereſt ſcriniúmne an abacus, mappa ſit ubiq; an ſcheda. Si deſit bibliotheca, philoſophandi anſam præbebit culina. Diſplicet fateor, iſtis, qui convivium ita mutant in forum ut in verbis tantùm morentur, nec tam verum expiſcari ſtudent quàm altercari; qui ex diverticulis & anfractibus ſummam percipiunt voluptatem, in plano dumeta facientes, & ubi patet via, involucra quærentes. Horum vel ſeria pro ludibrio habenda ſunt; at Philoſophorum vel joci

joci,& otia grande ſemper aliquid & divinum ſapiunt. Idem eſt his cœnare, ac legere, nec veriſimile eſt ut qui ſtudiis penè corpus excuſſerint tantùm eſſent voluptatibus abſorpti ut obruteſcerent. Cùm majores acquirat corpus vires, dominiumq; augeant affectus, tunc maximè fert ſuppetias philoſophia: ebullit hic ſanguis; in iram, odiumve, luxum, ingluviémque acriores involamus, in promptu ſit philoſophia;

*Illa regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Præſens inter convivandum Cato tantam incutiet reverentiam ut vel mutus poterit à luxu coercere. Nec opus eſt ut adferantur ſcripta, Convivii pars non ſunt volumina; ut non ſaturat appoſitus Plato, ita nec cœnæ eſt ſupellex. Pro codice erit quodvis ferculum, libros habebimus, quos devoremus, & à gula hauriamus ingenium. Ponantur Oſtrea, humanam ex his conditionẽ indigitant philoſophi. Nunc bovillâ, nunc agninâ veſcimur carne; iſtinc patientiam amplectimur, hinc innocentiam. Quid ſi ignivomos Colchi tauros, aureumque vellus, quid ſi Europæ armentum, et Admeti greges his inſeramus? Hinc Regi ſuperûm dẽberi victimas innoteſcat, illinc

Reginæ

Reginæ Inferorum. Nec περίεργον erit de variâ diverſorum nutritione differere: non tantùm corpus paſcunt philoſophi, nec ut accreſcat moles edocent, ſed ut animus efflореſcat ſcientiis. Hæc ſi deſint, tantùm cum terra exhalationes ingurgitamus, vaporéſque haurimus.

Pietatem fas eſt intueri & comitatem ex appoſitis Turture, & Ciconia. Non minùs experior longævam, et brevem vitæ ſummam, cùm paſſerem vix bimeſtrem, aut annoſum comedam cervum, quàm cum elucubrata de his perlegantur Ariſtotelis opera. Ibi hæc audio tantùm, in Iſtis experior, quæ hic audiveram, nec alicubi extremi ſpiritus recordatio, aut mortis contemptus ſtrictiùs urgetur quàm in Oloris, et galli commeſſatione: Alexandri fortitudo, aut Catonis vigilantia haud pleniùs ad vivum exprimitur in ſcriptoribus, quàm in hujus appoſitione. Verùm non aliter hæc cœnas fercula quàm rapax vultur, quàm Aſinus paleam, gramènve, iſthæc niſi edoceat Philoſophia. Nihil intereſt tu'n herbam comedas an Bos, ſi edatur tantùm, Deúmque in qualibet herba ipſe non intelligas. Nec refert tu ſis an lupus ovis heluo, ſi præter carnem in hac nihil ſentis. Apponatur

deniq;

denique caſeus, craſſum ex ſale, lacteque coagulatum corpus; in iſtoc ſicci et calidi, in hoc humidi, ac frigidi notiones ad unguem callere licet: ſuggerunt item Elementorum qualitates, noſtrámque ex iſtorum farragine compagem: unà innuunt ad amicitiam requiri diſcordiam, et ut priùs diſcrepent, quæ ad uniendum fiant idonea. Præterea in liquoribus ipſa Elementa propinamus. Ex hoc poculo de Igne, ex iſto de Aere exoriri poteſt Problema. Alterum viſcoſam habens illuviem, crudámque frigiditatem, terram, aquámque continere videatur. Nec nucibus deeſt quid morale, quia ſine labore non ſunt guſtandæ.

Plurima inſunt pani myſteria, nec inter favos edendum de bene compoſitâ republicâ incongrua erit diſſertatio; ut itidem recta ferculorum digeſtio Civium ordines quodammodo delineet. Porrum, et cœpe Ægyptiorum nugas, poma Heſperidum memorant fabulam, nec enim in his nihil Philoſophiæ. Quin imò ablatis cupediis hæc non aufertur, aut cum cœna deſinit. Animæ pabulum ulteriùs vim exerit quàm corporis, et vel in Sportula ferculum reperias: Cùm rudes offas et mutilata conſpicimus fruſta, antiquum repetimus

petimus chaos, mundi primordia, ſpecioſam-que ex tali confuſione Univerſi machinam. Cùm itidem adeò incompoſitam animadvertamus mixturam, ubi unà jacent Rhombi fragmenta, & Gobionis, nec meliori Aper loco quàm caules; occurrit horum diſſolutio, & infelix omnium in urnâ adæquatio, ubi Achilles, & Therſites; Cæſar, & Verna Ægyptius non diſtinguantur Cineribus. Si tantæ deſint lautitiæ, (raró enim ita epulantur Philoſophi) Illis in Ferinam ſufficiunt radices, & Pavonis vice Lactucæ: Dein Curii, & Pythagoræ fiat mentio, in his plenius dabitur Convivium, dum connexas in Illo virtutes, in hoc ſcientiam obſtupeſco; aut ſi tam ſublimia capere non poſſum, in hoc unico ſaltem ero Pythagoræ diſcipulus, exhinc diſcam tacere.

## *Nolo hoc officiosus ames.*

ELABORATO, & supplici proœmio, submissis verborum lenociniis, ter hujus deosculatus dextram, ter Illi flexo poplite, & petita septies humiliter singulorũ gratia ut perorem nè expectetis. Nollem sanè sic amari ut molestus sim, imò & neglectum malo vestrum, quàm ut tali pompa, tantis circumstantiis faveatis: Sic Impositionis, & supplicii instar cogitur benevolentia, & qui duci solent affectus, coercentur? Cui non odio est indefatigata Clientis importunitas, à qua nec lectus protegit, nec mensa, nedum forum, aut ipsæ Deorum immortalium aræ tutum servant? Ad Sacra itur? religiosus est: Magistratu fungeris? in se suscipit onus: In foro res agitur? Juri studet: Si in Circensibus, à religione pariter, et negotiis vacat, in his totus solvitur. Ingruunt tenebræ, et dormitum abitur, serus licèt deserat,

matutinum portat Ineptus Ave, Patroni ſom-
nos rumpens, et ſuos ſolicitus nè

*Tota Salutatrix jam turba peregerit,——*

et ipſe ultimus honoratũ deoſculetur limen, ubi ſi excluſus fuerit, ante fores præſtolatur; ſique in Trivium eundum ſit, accedit ille lateri proximus, officioſa auribus verba inſtillat, Ille ſolúſque vultus occupat. Cum nuncio opus eſt, curret; cùm domum itur, deducet. Tantine cujuſvis officioſa ſedulitas, ut eâ crucier, aut pertinax iſtius ſodalitium meo præferam ſeceſſui? Diligentiam æſtimabo, quæ Cupidinis inſtar ſpiculi amorem non facit niſi vulnerando, nec affectum oſtendit niſi ut graviùs torqueat? Matutinus ſalutat, et me altùm dormientem importunus exuſcitat; requiémne meam mihi, an iſtius ſalutationem dulciorem cenſeam? Certè hoc ſaltem tempore omitteret, cum ſomno ſepultus nihil mali in illum cogito, nec importunitati diras imprecor. Unà paſcimur; mihi mullus, illi Caules, aut cicer in patinis: mihi Maſſicum, illi vappa in cyathis; nec his ſolis ipſe frui contentus, nobis etiam ſua imponit fercu-

la,

la, & ex amore venenat. Siccine humaniter agit, ut amentem reddat, dum epulas cogit relinquere ut ſporţulâ veſcar, ſtomachúmque excruciem, ut illi placeam? diligere non hoc dicam, ſed in affectus graſſari, & exhaurit potius viſcera quàm amorem inde ducit. Fixus lateri adhæret comes, domi ſolitudinem, foris negotia, in templis religionem impedit: Nihil hic meditari poſſum, nihil illic curare, nihil iſthac deos rogare, niſi ut ab illo liberer. Et iſtum amicum exiſtimabo, quí memet mihi, rebus, & Diis immortalibus ſurripit? An aliquantulo melior eſt mihi ſomnus quòd inter dormiendum harmoniam ſtertere officioſus jurat Cliens? aut ſi labaſcant greſſus, nè lædar ſervat, quod Iſte agiliter me Geſpitare proclamat. Crebras in cute puſtulas affirmat iſte ſtellas, mecúmque cœlos circumferi pronuntiat:

Non tamen hoc morbi violentiám inde orientem vel pauxillùm levat. Dum quod Ille glóriam, & pulchritudinem ſubdolè nuncupat, Ipſe illuviem, & deformitatem ſentio, mortiſque indicium experior, quod ille divinitatis ſignum ſuſurrat. Odêrunt etiam immodeſtos & Superi cultores, nec officii

nimium præstare religio est sed impudentia. Si farre pacandi sint, aut micâ Lares, largam Bidentum cædem tentare, aut sumptuosam immolare hostiam scelus est: Cùm Jovi mactandus est Taurus, Hecatombam non offeremus; nec enim esset hæc victima, sed exprobratio, et aversos potiùs irritaret Deos quàm molliret, dum Jovem aut paupertatis arguimus, aut ignorantiæ, locupletius postulato sacrum, aut melìùs quàm præcepit facientes. Da mihi cùm vocatus sit officiosum, et cùm jussus fuerit munus præstantem. Non qui plura requisitis profitetur, sed qui nuda amicitiæ debita exequitur, verè diligit; nec enim flammas nutriunt superflua sed opprimunt. Quoties repetitum Ave, ingeminatum *Sophos* audivit *Sejanus?* Misit Hic aurum, ille Ebur; Ille Tyri, Hic Corinthi Spolia. Alterum aspexit; Magnus, fœlix ille: Alterum nutu dignatus est; fœlicior ille: Tertium allocutus est, teret amplìùs beatus ille: Cœlo autem donari visus est, cui proximè permissum est accedere. Erigit ergo alter statuas, alter aras Divino, immortali Domino, Deóque Sejano. Cùm verò

*— Grandis Epistola venit*
*A Capreis,*

ubi

ubi Dominus, Deúſque? ubi ſtatuæ, et Aræ? voluntarii exceſſus officii in furorem ultra hoſtilem convertitur, et ad *Gemonias* jam ſola eſt acclamatio. Quid agitis importuni cives? Ideóne tam diligenter obſervaſtis ut violentiùs puniretis? Nullos hic ex inimicis invenio, vos tantùm hæc agitat rabies, qui ſub nutu ejus creviſtis. Ita ſuſpicandus eſt iſte amor, qui ſcorti inſtar ſe proſtituit, qui injuſſus provocat. Iſtud pariter et meretricium habet, decipere. Fixus autem et certus ille eſt, qui ſobrius, et modeſtus, qui non ſe intrudit, ſed quæritur, et quod neceſſariò tantùm amicitiam ſpectat, illud agit. Qui verò ſuperfluis ſe exercet, moleſtus eſt, et ita debitum conatur officium fugere, aliud agens. Qui profuſis verborum lenociniis utitur, inſtar ſonos edentium ſe vacuum intus eſſe oſtendit, et nihil agit. Ut verum itaque amandi diſcam modum, quoad Actus, importunos et officioſos vitabo; quoad verba ſpectat, Tacebo.

*—Ego ducere Paulam*
*Nolo, Anus eſt, vellem ſi magis*
*eſſet Anus.*

NON hilares vultus ambio, Academici, non frontes veſtras in ſerenitatem exporrectas efflagito, ut aliquid ſaltem inſtar argumenti Rugoſum occurrat. Pudet enim me Senatûs ſine Calvitie, quorum vultus candidiores nondum ſenilis ruga decoravit, nec moroſior Barba vel Judices aſſeruit. Quicquid mihi impenſiùs arriſerit, Larvæ inſtar, ſuas ipſo ex horrore ſortitur delicias, noſtrámque Venerem non niſi ex nœvis agnoſcam, et Labeculis. Dicite enim num pulchellæ Auris anfractuoſas januas, num breve caput, et arduam cervicem criticè venarer, quaſi Equos, aut Jumenta mercaturus. Nundinas potius celebrarem, quàm Hymenæa:

næa. Qui corporis externam ſolùm compagem, & lacteam membrorum ſeriem obſtupeſcit, Geometræ inſtar ſtructuram umbrâ metitur, nec fœminam ambit, ſed Idolum, & tantùm animatam procatur Ceruſſam. Hæc phaleras fateor, non illecebras, quæ Ardorem fortaſſe exſtimulent, nunquam Affectum. Sic Imágines, & Toreumenta petas ſponſalia, niſi ſolidioris quòd eſſent, & magis duraturæ venuſtatis. Sed eheu brevioris ævi foves delicias: Quæ Te dudum tibi furripuit, quæ tota ſpirat amorem, ſpirabit & cœnum. Liliis Nives ſuccedent, totúſque genarum decor ſpoliorum anſa tantùm facilior efflorescet. Immo vireſcentem ipſam (cujus jam loquacis ſymmetriæ jactas elegantiam) Anum ducis futuram, & tantùm ſub Helenæ labris Hecubam deoſcularis. Quanto ſecuriùs ætatem firmatam ſollicites, & poſitam ultrò Annorum injurias; adeò omnes æquiore patimur animo vultûs deformitatem, quàm ruinam. Finge tamen hoc Roſarum perpetuum ver, tuam finge inconcuſſæ Pulchritudinis ideam, non iſtam Pulchritudinis gratiam, non delicatos vel oculorum rotatus indulgeat, niſi imputandos, & ultra Cæſaris ſuam etiam effi-

giem in dote annumeret. Tu delicatiora tantùm passurus es fastidia, imperitet forsan ut virago: At (inquis) succo, et sanguine fœcunda est; proh facilem dementiam! Quorsum vegetiorem procaris, nisi ut nocturnæ Quieti minùs indulgeas, et inter quiescendum etiam novus superfit labor, garrulo insomnis adhuc Uxoris Alloquio, et Blanditiis auscultare. Post duram usque servitutem insolentior domina Thalamo accedet tantùm elegantius tormentum, Solísque instar planetæ amabili aspectu, sed conjunctione maligni, et feralis influxûs.

Quæ nostros provocet amplexus, mihi annosiora circumdet brachia, cui magis quàm speculum prospiciendus succurrat maritus, et instar venustatis succedat viro placere, Quæ lascivientes castiget oculos annorum verecundia, Quam Priamus Nutricem, aut ipse saltem sine injuria Aviam compellarem, ut dulci aliquoties elusus delirio flexo potius genu, quàm amplexu venerabundus excipiam. At exarescentis torvũ objicis supercilium, frontem caperatam; mihi certè securiùs intuenti nihil exarata facies subjiciat, nisi totidem lætioris vultûs Gelasinos, exultantis Naturæ

ræ ludicrâ potiùs quàm labeculas. Nihil moror ſemeſas genas, vel pro vultu pumicem habeat, ſi Diis placet, faciem vel Apum favis cavernoſam magis, dum & apum exprimat induſtriam, Anxia Mater familias. Nudatam ingeris frontem, tres, quatuórve tantùm capillos, & frugi Calvitiem? Nulla jam ſynodus advocanda ad appoſitè digerendam crinium ſeriem: A noſtrâ abſint Paulâ elaborati iſti apparatus, nec prodeat tanquam machina, aut ſpectaculum, niſi tantùm Reverentiæ; nullam ſollicitè diſponat compagem, niſi affectuum, nec aliùd conſulat ſpeculum præterquam nativum illud conſcientiæ. Ineptè deſiderata dentium ſepta commemores. Sinè vocum Inſtrumentis ſatis novit rixari fœmina, ſuſurros edat, non loquelam, & blandientis inſtar columbæ jucundiùs tantùm immurmuret. Nulla mihi faſtidia incutiant attrita, & exarescentia labiorum mella; non oſcula expecto, ſed Oracula, nec oris Blanditias, ſed vaticinia. Adeò nihil vanum, & Thuſco indignum libello ab ore dimittit edentulo. Ætate vincat cornicem, ſi modo cornicis edat præſagia, & digna videatur, quæ à

Deorum

Deorum aſtet ſecretis. Nec peſſimè, credo, noſtra audiant Hymenæa, ubi Delphos ſpirant, & ſacratior Myſta conjugem tradat tanquam verendum Sybillæ Genium, non lecto, ſed Arâ excipiendam. Hinc tanti ducimus vetuſtatis prærogativam, ut nec Truncis ſine cultu ingruat. Hinc exeſi ſtipites, aut annoſa Dodonæ Quercus abierunt in myſteria Religionis, & in Sylvis ultra Faunos, Dryadáſque vel arbores Numen invenerunt. Hinc eſt quòd vos etiam oculo adeò devorante deficientis paginæ fragmina, & mutilos vocabulorum vultus perluſtratis, quæ monumenta evadunt tantùm ob interrupti ſenſus Deliquia, & Amœnitates audiunt quòd ſuperſunt Analecta. Adeò nihil rarioribus oculis dignum videatur niſi temporis patiatur ruinas, niſi Ilium etiam in Chartis iterum Pulvere ſepultum intueamur. Nec parum juvat quòd Ipſe etiam prodirem inter tot paginas prope canam exhibiturus, ut ubi nulla Orationis Suadelæ, veterani ſaltem ſententiæ aliqualis Reverentiæ accedat Prærogativa.

Ego

*-Ego ducere Paulam*
*Nolo, anus eſt, vellem ſi minus eſſet anus.*

LIbentiſſimè in arenam deſcendo, Academici, contra exhauſtas ſenectutis vires, peſſimas annorum fæces, vetuláſque rugas peroraturus, ubi Auditorum Juvenilem coronam liceat intueri. Nec ingrato animo blandioris, & vividæ magis ætatis encomium ſuſcipio, quia veſtrum eſt. Veſtras in partes ſuccedo, neque tam cauſæ advocatus prodio, quàm fidiſſimus Conſiliarius, meliori fato vobis ſimul, & mihimet ipſi proſpiciens. Sponſas ſi quas liceret mihi vobis indulgere, nullas certè concederem, niſi vegetiores, veſtríque inſtar Apollinis, ſemper revireſcentes, Venerem ſi non ſine nævo ſuo, ſaltem ſine rugâ vobis fæliciùs commendaturus. Quis quæſo, veſtrum non expectat venuſtiſſimam vultûs ſerenitatem, politiorem frontis elegantiam potiùs quàm edentulam, vietam, veternoſam? Quantas habet amœnitates, quantas delitias naturalis, & non fucatus genarũ nitor à celebertimo Dearum

arum Arbitro Paride discatis, qui invenerit aliquid in formoso corpore, quod Cœlo prætulit, aliquid præ quo iratam Junonis Majestatem sprevit, & Minervam Jovis cerebro natam conculcavit. Perge, irata Juno, excandesce, freme, rode ungues, & Tragica furoris tempestate scenam obnubila; jactes opes, regna, virtutum cœleste satellitium,, nil curat Jupiter si desit εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Si desideretur externa membrorum gratia, Pellices occupent cœlum vestrum necesse est, tuúmque victrix teneat Alcmena locum. Hanc autem Paulam cum ad templum duxero, excitatam potiùs è sepulchris umbram, quàm uxorem credam, quæ sæculari tusse sonoros Thalassiones, & Hymenæam superet musicam; cujus tam exiles lacerti, & tenuia brachia, ut quem imponit sacerdos annulum quasi armillam potiùs gester. Contubernalem statuam, aut è vetustis Ægyptiorum monumentis aliquam mallem, quæ, licèt ut Paula mea, sit mortua, myrrham tamen & cinnamum oleat: Hanc ego si lecto admoveam (quæ tamen absit impietas) quot Manes patiar, quoties cœmiteria commemorem? occurret in somnis mihi crucifixus aliquis Nebulo,

bulo, & quasi Mezentii sævitiam subiturus mortem potiùs amplectar, quàm Amasiam. Nescio in quem usum serviat capularis Paula, nisi quòd lacerus vultus dictitet MEMENTO MORI, vel ut possit quasi monstrum aliquod ex Africâ ostendi viatoribus. Si Sacrosanctum nuptiarum jugum subire, nec tamen ægrè pati velles, si dulcis Natorũ spes te moveat, elige puellam, in quâ viget frontis exporrectæ gloria, quæ dentes non crines habet primâ nive candidores. Jam post justum tenelli, ac amabilis sexus encomium, Auditorum candorem non desperem. In Illarum itaque gratiam placeat vobis ut vestros saltem vultus instar conjugis nostræ molliores, hilaréque experiar, quo nonnulla etiam huic curtæ, tumultuariæ, & informi declamatiunculæ injicii videatùr venustas.

ANTILEGOMENA ista innoxiè Festiva, Rogatu cujusdam patriâ linguâ donata, haud planè ἄτομα, aut Inconcinnum duxi hîc Inserere.

I won't wed Paula, true; ſhe's Grave, and Sage,
Yet I won't wed 'leſſe ſhe could boaſt more Age.

I *Humbly begge that ye would now caſt off all chearfull lookes, and ſerene glances, that ſo there may appeare ſomething at leaſt that's wrinkled, and to the Theme. For I ſhould bluſh to ſee an unbald Senate, ſuch, whoſe infant lookes are yet unfurniſhed of an aged fur-*

*row,*

row, who yet want formall beards to ſpeake them Criticks: who ere would tickle me, muſt like a gaſtly vizour purchaſe its eſteeme even from its horror: nor will I know my Venus but by her moles, and charming ſtaines. For (pray) reſolve mee, would you counſel me nicely to chooſe out one, whoſe pretty eare (forſooth) is curiouſly enrich'd with various, winding mazes; one, whoſe head is in a ſtrict proportion ſmall, whoſe neck is moſt preciſely ſtiffe, as though I were to choppe for Race-nagges, or ſuch ſpecious cattell,

and

*and had decreed to ſolemnize a faire, rather then* Nuptials. *He that admires the due connexion, & Beautious method of the parts, does like a Doater in Geometry, value the choiſer Building by the ſhade, nor woes the women, but their Images, and ſeemes to court only a lively phanſy. Theſe things I grant may paſſe for Trappings, but not powerfull charmes, they may perhaps excite my appetite, but ne're my love. At this rate thou maiſt purchaſe Pictures, and carved Ladies for thy brides, but that their Beauty is more perma-*

*nent*

nent. Alaße, thou doeſt embrace more fleeting joyes, For ſhe that now hath ſtoln thee from thy ſelfe, ſhe that now breathes nothing but rich perfumes, will ſhortly poyſon thee with ſtench. Tale ſnow anon will ſit where cheerfull Lillies grew, and all the Sweets of thoſe ſo amorous cheekes do onely Flouriſh till they deſerve a ſpoyle. Nay thy freſh miſtreſſe, the Elegance of whoſe choice ſymmetry thou now doſt boaſt, is married to thee to become ſhortly old, and thou doſt onely under freſh Helen's lippes kiſſe froſty Hecuba.

*O how much ſafer mayeſt thou attempt a ſetled Age: one, to whom more yeares can do no injury. For truly it is more comfort to behold the uncomelineſſe of Faces, then their Ruines. Yet faigne thoſe Roſes planted in her cheekes ſhould be eternall in their beauteous Spring, faigne this thy bright Idea to ſtand unmov'd amidſt the ſhock of decaying yeares, yet thou (poore man) ſhalt never gaine one raviſhing Glance without a ſaucy imputation, and when thou counteſt her Dowry thou ſhalt perceive more numbered in her own ſtamp, then*

*then the Kings. But happily, you ſuſtaine a Brave contempt from faire, and delicate Hands; Your Beauteous Lady, may be, weares the Breeches, and proves your governeſſe, but 'tis a ſucculent, and lively Virago: O tame, and eaſie madneſſe! why chooſe you ſo ſprightfull embraces, unleſſe you would looſe your ſoft, and ſweet repoſe, and even in a Time to be dulcin'd with Reſt, attend yet Another Labour, to obey the buſie Tatlings of a reſtleſſe mate. After the long continuance of thy hard ſlavery, thy inſolent Gover-*

neſſe will aſcend thy bed, onely a Beauteous Torment, and like the Planet of the Sun with lively aſpect, prove in conjunction but a ſad and direfull Influence. She that will merit my embrace muſt twine me round with aged armes, and oftner gaze upon her Bride-groome then her Looking-glaſſe, and boaſt ſhe's faire cauſe ſhe can pleaſe her husband. She muſt be one, whoſe Gravity may curb young wantons, one whom old Priam might have call'd his nurſe, or at leaſt without a ſcandal I may ſtile my carefull Grannam, that

*So ſometimes in a moſt ſweet miſtake inſtead of deſiring an embrace I may aske a Bleſſing. But you'l object her awfull frownes, and her contracted Brow: truly, to my ſecurer view that plowed up face ſeemes to reſemble onely ſo many loving ſmiles of calmer lookes, and cheerefull Natures mirth rather then diſgrace. I do not diſ-eſteem her decayed viſage, may her face be like a hollow pumice, and have more empty cavernes then hony-combes, ſo ſhe but prove induſtrious as the Bees that make them, a thrifty miſtreſſe*

ſtreſſe of a family. You'l adde her barren fore-head, her three, or fowre ſcatter'd haires, and her cheap baldneſſe: why, here's no Synod call'd to force a method in her wandring fleece. Farre be it that my Paula ſhould be vexed with ſuch elaborate curioſitie, nor ſhall ſhe go abroad an Engine, or a ſpectacle, unleſs it be of Reverence. She ſhall not need to joyne ought beſide affections, nor uſe a Looking-glaſſe beſide that native one, her Conſcience. 'Twere idle to object her ſcarcity of teeth; women can be lowd enough without the clamorous

morous instruments of voyce: Marry, even let her whisper, and not speake, and like the gentle Dove let her produce only a sweeter murmur. I am not troubled at her unsavory mouth, and all the pleasures falne from her dry lips; For I expect no kisses, but Oracles, nor the delight of speech, but Propheſies, so that nought vaine, or unbeseeming Thuscan Records passe from her sacred voyce. Let her exceed the Crow in yeares, so she exceed him in presages too, and be thought worthy the Counsels of the Gods. Nay may our wedding

*seeme unhappy, since it does relish Delphos; since the sacred Priest gives me a wife like to the hallowed Genius of Sybilla, not to be carried to the Bed, but Altar. Hence is it that we so much prize Age's prerogative, that it is honoured even in ruinous shrubs. Hence decayed stalkes of Plants, and Dodons aged Oake have bin thought Mysteries by pious men, and in the Forrests ancient Trees have proved a Choiser Deity than worthy Field Gods, or the chastest wood nymphs. Hence is it that ye with such a greedy eye adore the.*

*Reliques*

*Reliques of expiring Bookes, and the maimed figure of half-Martyr'd words, which are made monuments only by Ruines of interrupted ſenſe, and are thought pretious 'cauſe they are called ſurviving Fragments. So that to more curious eyes nothing muſt challenge a ſurvey, unleſſe it have endur'd the Tyranny of Age, unleſs we may behold old Troy, or Carthage buried in duſt ev'n in the papers too. Nor is the benefit ſmal that I can ſhew a Bride as old as they, that where the oration wants its elegance, her old-wifes tales may plead prerogative.*

I won't wed Paula, trûe; ſhe's Grave & Sage.
Yet I won't wed 'leſſe ſhe were freſh in Age.

*MOST Academicall, moſt knowing Judges, I willingly appeare at your Barre, where I am to implead the decayes of ſtrength exhauſted by old Age, the dreggs of yearcs, and barren furrowes of the wrinkled viſage, ſpecially before a ſmooth Ring of ſprightly, youthfull Auditors. The Panegyricke of vigorous, freſh, and flouriſhing Age cannot but prove a welcome argument, becauſe that very commendation is your owne, 'Tis your owne part and*

*and cauſe I undertake, intending in ſo cleare a ſubject rather my advice, then Plea, conſulting both yours, and my owne better Deſtiny. If I were to contract for you, I would chooſe you no embraces but ſprightfull ones, no Wives, but thoſe like your owne Apollo, alwaies young, and florid, commending ever to you a Venus, without a wrinkle at leaſt, if not without a Mole. For tell me in earneſt, which of you (lively ſoules) would not court a clear choice complexion, a poliſh'd, elegant brow rather than an old, dull, ſhrivell'd, tooth-*

*tooth-leſs Matron. Let Paris, that Umpire of the Goddeſſes, witneſs what delights, and charmes are rais'd from the native ſpring of juſt temper'd cheeks: he found that in the Harmony of beauty, which he preferr'd before their Heaven. He contemn'd Juno's angry, majeſtick brow, nor priz'd Minerva, ſprang from Joves owne diviner brain. Chide on incens'd Juno, fume, rage, over-cloud the ſcene, and raiſe a tragick tempeſt on thy brow, boaſt ſtill thy wealth, thy dominions, and heavenly retinue of virtues too. It moves not Jupi-*

*ter*

*ter if in his Empyreum there ſhines no beauty worthy of the glorious orbe of Heaven. In the dearth of raviſhing aſpects 'tis not ſtrange if harlots aſpire his heaven, and out-vying thy beauty out-vie thy preheminence there. Should I offer any vowes to you in heaven, and lead this gaſtly Paula to Church, I ſhould ſtrongly believe ſome ghoſt, rather then a wife, rais'd for me among thoſe diſmal ſepulchres. Her chronicall cough would blaſt mee, and her old loud, harſher pipe would drowne the marriage Muſique, her ſpider armes, are*

*ſo*

*ſoout worn, & ſpiny that the prieſt might miſtake the wedding ring for a bracelet. Why? I had rather embrace a ſtatue, or ſome reverend Ægyptian Monument, which although it be as drie and dead, as this Paula, my ſapleſs piece of antiquity, yet it breaths the myrre, and Cinamon it was embalm'd with. Should I admit this forlorn relique to my bed (which Jupiter forbid) how many Church-yards ſhould I dream of? how often ſhould I ſlumber my ſelf into ſome crucified caitife? fancie my fate the ſame with that of Mezentius, interr'd alive,*

*and*

*& embracing rather death then a Bride? Seriously, I know not what use this decrepit, coughing approaching Paula should serve for, unlesse it was to suggest unto me a* Memento mori, *or be shown for some Afrique monster, or strange frantique fragment of Antiquity. If thou wilt adventure that Yoke, the hallow'd one of Matrimony, if thou aspirest at a hopefull progeny, & raising of thy name, aime at the glory of a fresh & springing complexion, a virgine beauty, whose ivory teeth and skin, not haires, may out-vie the fresh fall'n snow.*

*The*

*The just panegyrick of so soft, indearing, and every way candid sex may, I presume, raise likewise a genuine candor in my Judge too. For the Ladies sakes at least grace me with smooth, applauding, chearfull lookes, such as my care in consulting for you hath in some sort deserved. Thus your auspicious aspect may reflect some shadow of Decorum upon your Orator, and this abortive, which issued from a tumultuary braine, your acceptance may shape, and cherish into just lineaments, and complexion.*

FINIS.

# Epistolæ.

## NONNULLÆ

E

Cumulo excerptæ, Nomini

SUBDECANI inscriptæ.

OXONIÆ,

Excudebat H.H. Academiæ Typographus,

Impensis R. DAVIS, 1668.

VOces, ſonóſque logicos uſque jam, & uſq; reſumpſimus, liceat, quæſumus, examinandi vices, quas nũc tẽporis ſtatuta mandant, amplecti, Nè ſi tã tenui ſẽper, & puerili deludamur ſtudio, non ultra Parietes hoſce ſapiamus, qui cum Eccho ſuâ voces nôrunt reverberare. Ad Primordia, & initialia Scientiarum Elementa perpetuò damnari crambe eſt, quam (ut ſperamus) neque Candor Tuus, neque Profectus ſinent noſtri. Promoveri tamen, & porro pergere non tam Deliciis plenum eſt, ac à Patrono promoveri, implebitque literarum amabilitatem clementia tua. Eloquentiam tuam toties guſtavimus, & tantum ſucci ex ore tuo hauſimus omnes, ut non immeritò nos ſperemus robuſtos ſatis ad examinandum, & palam pro Academiæ Roſtris idoneos ad agendum. Non ſunt Ænigmata, quæ Regentes in lucem prolaturi ſunt, ſed, quæ Tu olim nobis propoſuiſti, ob-

Library of the

ſcuriora

UNION THEOLOGICAL SEMINAR

ſcuriora videbantur problemata. Nemo noſtrum eſt, quin in unaquaque ſcientiâ victorẽ ſe futurum autumat, dum Te Apollinem, tuáſque dumas ſit vitaturus. Didicimus à te ( ) puſillos non formidare Hoſtes, & non ad Galli cantum trepidare Leonũ more. Euge itaque, liceat nobis Pace tuâ, ( ) Cathedram hanc aſcendere, ſic dum tuis nitimur auſpiciis, facillimum erit Regentium quæſtiunculas excutere, & intra examinandi ſphæram nullas ſentire plagas.

VIR ORNATISSIME,

ADeò totus timeo nè ampliùs offendam inſcius, ut ignorati criminis veniam ſine veniâ non auſus ſum deprecari. Unicuique verbo tormenta, & fidiculas adhibui; nihil fatentur: ſpongiam, & flammas minitor; fortiùs negant, & culpam agnoſcunt unicam quòd rudia adeò, adeò ſimplicia dignitatem Veſtram interpellârint. Parcas tamẽ ſi & adhuc aliquid illa reticere ſuſpicor, quia tibi diſplicuerint. Tuo precor Judicio delicti noſtri nubes diſſipetur, ut à Te primum Salutis gradum conſequar, Nôſte morbum: Non adeò, crede, errores depereo, ut Lapſibus addam & contumaciam. Quicquid Tibi non arriſerit, ſi inhoneſtum fuerit, ſi parum candidum, Apollinem teſtor, teſtor majus mihi Numen, Teipſum, non fuit Meum.

VIR COLENDISSIME,

ACTUM est de studiorum nostrorum Ratione, nisi tu succurras. Toti certè Synodo præponderat suffragium Tuum, ut qui hoc saltem hac ex parte dignitatis habes, Tantis viris voto prælimiuari, prodromum calculum præmittere; adeò Illi non tam suffragia sua exprimere, quàm Tuo consentire videantur. Amplissimum erit præteritæ observantiæ præmium oculos Vestros testes habere futuræ. Non ergo alium petimus influxum nisi vestrum, adeò amamus tacitam, & sine pompa felicitatem, ad quam sanè nos non Ambitio trusit; cum hoc summum sit nobis optati honoris fastigium Tibi immediatiùs inservire. Magnæ ergo Impietatis esset Emblema eam non audacter ambire authoritatē, quæ nunquam sese potentiorem esse ostendit nisi ubi placuerit annuere.

NON

NON huc me coëgit Anni Tempeſtas, nec communis illa ſolennitas Ave Patronis accinendi ; Totus beneficiis à Te acceptis oneratus adſum, nec ſtrenam vocari, quod apporto, ſed debitum velim, quod cum ſolvendo par non ſim, fateri, & recognoſcere non ingrati eſt. Magna certè voluptas eſt gratias agere, & Mæcenatis munus dum recordor, ſecundo fruor, quódque acceptum refero, quaſi iterum accipio. Huc immerentem abduxiſti ut eſſes Patronus; in Domum me tuam admiſiſti, ubi ſimul Patremfamilias Te, & Penates agnovi, candido dehinc vultu foviſti, & uſque foveas precor, ut in finem totus Tuus fiam.

(*Dignissime Vir*)

NON ego solennis doni ineptias Tibi obtrudo, Xenium nostrum est agnoscere Mecænatis amorem, & gestio potiùs litare gratias Indulgentiæ Tuæ, quàm obsequium Dignitati. Non accepi strenam externi oculi intuitu spectandam, aut crassi amoris nugas manu palpandas: Tu diviniùs amasti clientem tuum, dedisti mihi Xenium quo fruatur animus, Aristotelem; & characteres nullo legendos nisi rationis oculo, nec aggredior vilis provinciæ negotia, aut servilem militiam; nostros conatus honestat titulus, & (quod est maximum industriæ solatium) generosè laboro. Ecce Aristotelici Gregis classi præsum, & vestri patrocinii indulgentiâ Peripateticorum Princeps evado. Expensâ itaque beneficii dignitate non hic stagnabit industria mea, indies crescet æmulatio gratitudinis nostræ, & fiet maxima pars provinciæ agnoscere patronum.

Gratulor

GRATULOR ſanè felicitati noſtræ, quod annì inſtar in ſeipſam revertatur dignitas Tua, quòd circumvoluto orbe continuum Candoris Tui patrocinium ſenſuri ſimus. Strenam precor, lætitiæ teſtem, antiquo recipias vultu, quem ego non mitiorem exopto, ſed tantùm iteratum. Non ſoles officioſas haſce chartas annumerare inter moleſtias: At Gravamen iſtud, ſi quid ſit, haud periturum penſabit obſequium, favoriſque Tui radios toties nobis orituros non ſine religione ſentiemus.

Non

NOn Tibi vicarium litamus obſequium, nec alium in te Vicedecanum colimus, ac ſi Patroni tantùm Perſona fores, Vicedecani ſpectrum, aut Larva: Totum iſtud, quantulumcunque eſt, quod præſtare poſſumus, tuo nomine commeritus es, facilis, & benevolus Mœcenas. Altiùs etiam ſurgit Zelus noſter hodiernus, nec ſibi ſatisfacit in ſolito diei cultu, aliquid ultra Vicedecanum colit, Primitias ſcilicet deliquii noſtri in amotione tua. Sic chariorem nobis reddunt tuæ te miſeriæ, & magis ſuſpiciendum. Advolamus igitur properi ad Vicedecanum colendum, adverſantibus licèt Senatus ſuffragiis; quippe potius hoc in votis eſt ut grandis piaculi apud Ipſos audiamus Rei, quàm apud te Ingratitudinis.

# ALUMNORUM
# VERSICULI

Perpauci, longiuſculùm mane obdormiendi ſpatium efflagitantes,

TYPOGRAPHI Impulſu

Hiſce adjecti, ut
Paginæ non laborent Chaſmate, & diducto Hiatu.

---

OXONIÆ,
Excudebat *Hen. Hall*, Impenſis
RIC. DAVIS. 1668.

HYberno tellus torpet ſub vellere, plumâ
Torpeſcant pariter, ſed leviore, Tui.
Amnes invaſit ſomnus, ſtagnantq; ligati,
Atque unda Oceano eſt obruta penè ſuo;
Lenta jubent adeò vel fluminis otia ſomnos,
Atq; quies dulcis non abeuntis aquæ:
Muſa pari torpet Genio, pedibuſq; ligatis,
Tanquam metra piger fuderat ipſe ſopor.
Singula cùm rigeant concreto frigore, Muſis
Et parili ſtagnet Caſtalis unda vado,
Oceanus patitur dum pluſquam vincula Xerxis,
Et ſegnis religet corpora noſtra ſopor.

---

IAM vota tandem Numen inſtigent Tuum,
Ut Te benigno liceat hinc nobis frui:
Dum corpus ardor languidum præſens cremat,
Et inquietè fervidum tulimus diem;
Dum membra feſſa capite ſubmiſſo labant,
Cervice prona & vultus in ſomnum cadit,
Reddas ſopore noctibus ſaltem leves.
Æſtate pueri dormiant, diſcunt ſatis.

Poſtquam

(nere Somnus;

Postquam factus homo est, datur huic pro mu-
O quàm conveniens hoc quoq; munus erat!
In mundum, vel jam sopitus Lumine clauso,
Vel Dormiturus, Nudus, Adame, venis:
Occupat hos fessos tandem sopor altus ocellos,
Ecce O quã prægnans somnus, Adame, tuus!
Omnibus hic mater, Conjux tibi sola videtur,
Dum licèt in Costá concipit ille tuâ.
Partus adest, Somni nova filia, mirum
Nunc pia Natalem denotet Eva suum.
Cùm gravidã vidit costam Deus, adfuit ille,
Et quasi Lucinæ præstitit officium:
Nos utinam fessi tandem te, Somne, fruamur,
Ut nostrum felix sit tibi Costa Caput.
Denique per totos cùm te sic fuderis artus,
Nocturnus fœtus tunc erit ingenium.

## *In Citharœdos importuno ſtrepitu exuſcitantes poſt veniam indulgendi ſomno conceſſam.*

*Quid matutinis turbatis cantibus aures,*
*Infauſtæ volucres, omina blanda mali?*
*(mine corvum*
*Sat ſtreperam* Prognen, *crocitantem & cul-*
*Audio non emptos; non Ego carmen emam.*
*Scilicet haud ullo ſtrepitus, & damna quietis*
*In pretio mihi ſunt; ſed reticete, dabo. (ſim*
*Lux vel inempta venit, diſcedite; mane vicis-*
*Accipite à nobis; Ne mihi vende Diem.*

LECTOR CANDIDE,

# CORONIDIS

Loco exhibeo tibi PORCI

Encomium, Ingenii ſale lepidè conſperſum,

ΞΕΝΩΘΕΝ mihi miſſum.

*OXONIÆ*,
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impenſis R. DAVIS. 1668.

# Porcus Patricius,

*Cujus Portiunculas quaſdam, Viro ſpectatiſſimo* Richardo Gardiner, *S. T. D. deguſtandas propinat quidam de Amicis non triſtibus.*

HAbeto levidenſe munus
(Colende *Gardinere*)
Quod tibi poſt ſetoſæ tunus
Amicus mittit feræ.

Non ſinunt Anguli ruralis
Anguſtæ rationes,
Ut proferam res lautas, quales
Sunt Rhombi, vel Pavones.

(a) Haud picta Perdix, nec guttatæ
Numidicæ voraces;
Nec adſunt volucres ſtellatæ,
Quas impia dat Phaſis.

Non ager noſter, nec ſi forum
Adire libuiſſet,
Delicias Exoticorum
Vel minimas tuliſſet.

Qui parvi ſunt, non eſt mirari
Si victus illis vilis;
Nec magna debent meditari
Queis domi Res exilis.

Immunda nobis dedit Hara
(b) Quadrupedem *Othonem*,
Qui tandem paſſus eſt amara
Ob lætam paſtionem.

Dum vixit, vixit ſoli ſibi;
Præcordiis exciſis
Dat nobis quiddam, quiddam tibi,
Et reliquis amicis.

Nec poſcit æquum ut faſtidias
Hunc humilem defunctum,
Quem magnis Titulis invenias
Propinquitate junctum.

Ab iſto, quem immite feræ
De medio tollit omen,
Heroës plurimi traxere
Non ſordidum Cognomen.

(c) *Latronem* ſuum *Cordubenſis*
Qui Controverſias tractat,
Miratus, laudibus immenſis
Ubique dignum jactat.

*Latronem* nôras: Advocatus
Primarius qui pridem,
Hinc nomen duxit, appellatus
A Porco *Porcius* Idem.

(d) Illuſtrem *Uticenſis* prolem
E meliore luto
Neſcire nemo poteſt, olim
Quam nuptam tradunt *Bruto*.

Quæ, cùm audiſſet viri Fatum,
Ardente ſe favillâ
Poſt ferrum ſuſtulit negatum;
Fuit & *Porcia* Illa.

Ex ipſo inſuper Ciborum
Delectu, ſcias ſatis
Egregium animal, decorum
Sublimibus Cognatis.

(e) Audire noluit monentem
A Fabis abſtinere,
Sed Ventrem potius ſuadentem
Se ſuaviter implere.

Hinc inter *Fabios* relatum
Licebit conjectare,
Et Titulos è Scrotâ natum
Fas altos venditare.

(f) Sed an pro *Maxime* ponendus
Haud facilè ſtatuerim,
Nec erit *Minimus* dicendus
Si Judex datus fuerim.

Hoc saltem scio, quòd cunctando
Dum edit, & delituit,
Rem nobis tandem aliquando
Feliciter restituit.

Et quod naturâ vile pecus
Ineptum ad loquendum
Sed belluinis multo secus
Grunnitibus horrendum.

Depastum *Cicerâ* videtur
Non prorsus rationi
Incongruum, quin reputetur
Affine *Ciceroni*.

Hoc forsan summus si Orator
Maturè subnotâsset
In *Verrem* (licèt is Prædator)
Invitus perorâsset.

Sed vereor, ne nimius forem
Si singula, quæ verè
Huic donant Pecori splendorem
Conarer recensere.

Quid *Craſſos* recitem? quid *Macros*?
Aut alios plures, quales
Nobilitate quondam ſacros
Commemorant Annales.

Porcellus noſter olim *Macer*
Quiete tandem laſſus,
Dum dentes validus, & acer
Exercuit, fit *Craſſus*.

Quin è noſtratibus nonnulli
Qui quondam floruerunt,
Nec artibus ceſſerunt ulli,
Hinc ortum habuerunt.

(g) Qui methodum correctioris
Proponit diſciplinæ,
Et grande ſæculi prioris
prodigium doctrinæ;

Hinc ambo dicti evidenter
(Nam dicimus *Baconas*)
Et Porcos noſtros conſequenter
Sortiti ſunt Patronos.

Sed quantus, quantus noſter ille,
Ad annos ſi vixiſſet
(Quos aſſecutus nemo) mille,
Nil frugi edidiſſet.

Et ideò Cautum, qui non fuit
Vivendo profuturus,
Ut ultimas dum pœnas luit
Prodeſſet moriturus.

Et mirum, poſt crudele fatum,
Cultelli vi ſubactus,
Et jugulum mucroni datum,
Quàm utilis ſit factus.

Teſtentur lactes jam ſalubribus
Eduliis turgentes
Quàm ſuis mortuus viſceribus
Plus diligat viventes.

Et carnes pariter teſtentur
Quas tanta cura pavit,
Quòd non tam ſibi ſatur venter
Quàm nobis laboravit.

Sic quod plebeium, quod contemptum
Plerumque æſtimatum,
Habemus poſt errorem demptum
Patricium creatum.

Quod rapax Animal, & malè
Quod audiebat vivum,
Evaſit cæſum liberale,
Et ſui diffuſivum.

Tu verò vile iſtud donum
Quo teſſeram oſtendo
Amoris in te ſummi, bonum
Fac æquè conſulendo.

Nec pono legem Epulandi
Convivium dum ſtruis,
Qui Comites ſunt advocandi
Ad has exuvias ſuis:

Te penes Illud eſto totum;
Sed quum ſolenne tibi
Ut ſoli raro (uti notum)
Suppeditentur Cibi,

Rem gratam feceris, ſi Mente
Benevolâ proponas
Ut Congerrones, te jubente,
Res guſtent parùm bonas.

---

(a) *Nec guttatæ Numidicæ*] Aves, quas vulgo *Turkeys* dicimus: *Martial.* l. 3. Ep. 58.

(b) *Quadrupedem Othonem*] de quo *Auſonius*, Hoc fecit nobile quòd periit, quod porco magis quàm Homini, nedum Imperatori, quadrat.

(c) *Cordubenſis*] Duóſque Senecas unicúmque Lucanum facunda loquitur Corduba: Mart. l. 1. Ep. 62.

Seneca in Controverſiis inter Advocatos primi nominis *Porcium Latronem* paſſim ponit.

(d) *Illuſtrem Uticenſis prolem*] *Porcia*, Catonis filia *Bruto* nupta, de quâ idem *Mart.* l. 1. Ep. 43.

*Conjugis audiſſet fatum quum Porcia Bruti*
*——Ardentes avido bibit ore favillas.*

(e) *A Fabis abſtinere*] Abſtineto à fabis, Monitum Pythagoricum, hinc, Juv. Sat. 15. *——Cunctis animalibus* abſtinuit qui

Tan-

Tanquam homine, & ventri indulſit *non omne legumen.*

(f) *Sed an pro Maximo ponendus*] Notum illud *Fabii Maximi* artificium bellicum, qui non tam pugnando, quàm cunctando *Hannibalis* vires fregit; unde tritum illud Ennianum,

*Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

(g) *Qui methodum*] Vicecomes nuper *Verulamii*, Author Inſtaurationis Magnæ, & Rogerus ille *Baconus*, apud priſcos celeberrimus, *Baconus* uterque.

(h) *Congerrones*] Candidos illos intelligo, & cordatos viros, tecum unà apud Diverſorium illud veſtrum ingenuum prandere ſolitos.

QUÆ

QVÆ
Sequuntur
PRIORI
EDITIONE
DESUNT.

## *Impudicitiæ ſufficiens Argumentum eſt ſi ſolicitetur Fœmina.*

MIRUM forſan vobis videbitur, Academici, quod unius delictum ex alterius crimine arguendum ſentiam, & pulchræ hujus Provinciæ deditionem ex eo ipſo quòd obſideatur conjiciam. Veſtra certè admiratione dignum non inficior niſi modeſtia tali incederet Majeſtate ſtipata, quæ à quantumcunq; effrœnato ſceleratorũ conatu ipſam adimat tentandi audaciam: Parum ſiquidem tuta eſſent virtutis caſtra ſi non tam à flagitioſorum incurſu quàm ictu vindicarent. Hoc non latet procacis ingenii viros, qui perrarò ſolent intra ſincerum virtutis limen intrare, aut cauſæ ſuæ involucra detegere, ubi non certum habent patrocinii Aſylum quippe timida admodum, & erubeſcentia plerumque ſunt ſcelerum primordia, &

niſi magna ſpe ſuſtentata decidunt. Quò fit quòd mollitie diffluens explorat ipſos vultus anfractus, ſecretiſſimos rimatur angulos: Caduceatores præmittit oculorum jactus, & blandis hinc, inde præludit riſibus. Nunc limo intuetur aſpectu, quaſi mutuum furari vellet amoris teſtimonium: Nunc induta triſtitiæ larva teneram Amicæ aucupatur miſericordiam: Jam vigili, & contumaci oculo affixus in dominæ ſuæ hæret aſpectu, quaſi aliquem ſic extorqueret candorem. Nunquam niſi præmiſſo vultus prologo in apertam libidinis deſcendit ſcenam, ubi niſi cum applauſu recedat tota ſilet comædia. At ſi alloqui audeat, multum negotii ſui ſe confeciſſe arbitratur; Caſtigans ſcilicet Matronæ geſtus Scortatori linguam plerumque exſecat. Quocirca benè morata non opus eſt ut neget fœmina; exeunt in vultum caſtitatis veſtigia, & Veſtalis ille Ignis in ipſo corporis motu ſcintillat. Non obſcura, & incluſa flamma eſt, ſuum hinc, inde vibrat fulmen, quod vel minima ſtrictura petulantiſſimi fauces conſtringit, & à congreſſu arcet. Ille tantùm ſecurè fortis quocum nullus molitur præliari, cujus animus in aliorum terrorem ſe exponit,

& invicta magnitudinis fama evectus gloriam ponit suam ultra omnuli invidiam, & extra sæculi cænum, an squallorem, atque inde honoribus fulget immanatis. Malesuadus Veneris nævulus, Rediniculum, & luminum jubar peruſtas reddiderunt Martis medullas: Quæ in ipso morsura scintilla erat, hujus procacitas in flammam excuſcitavit, cùm si non pulchra magis fuisset quàm pudica, quantumvis acrem, & bellicosum, ad hoc feliciter inveniſſet hebetem, & supinum. Certo certius teneatis ineſcantem frontis splendorem omnis illiciti ardoris esse pabulum sine quo jejunus statim langueſcit. Atque hinc non deſunt quæ meretricularum more delinientibus ceruſſis, & conductitii vultus fascinamentis ipſos quasi rapiunt Raptores. Quàm ornata, & infami munditie publicis spectaculis altera sunt spectacula? Quàm loquaci ocello parùm cautos alliciunt adoleſcentulos? Quanto studio se componunt in nequitiem, dum unicum hoc totius pænè vitæ sit negotium, suam in speculo repetere lasciviam? Rara inter Illas nisi levitatis contentio, hæc invidiæ ansa. De solicitatorum turba tota sit disputatio, nec ulla magis arridet victoria

quàm cum lenocinandi arte superiores videantur, ideóque rarò, aut nunquam quispiam probitati remittit nuncium, nisi istarum prælibavit Γλυκυπρικον. Quis ignominiosè tentavit Dianam? Hanc Nequam non impunè vel aspexit: *Sic illa oculos, sic ora ferebat*, ut immodesti, & discincti incandescentem ejus censuram procul perhorrescerent. Quam ego vestram, licèt non sum procacis ingenii, aut læsæ patientiæ reus, summa cum observantia in discessu fugio.

*Tùne*

## *Túne Caium Marium audes occidere?*

EO usque impudentiæ ventum est ut Tu id audeas Cimber, quod tota nec potuit, nec ausa est Roma? Quid mihi gladium, quid mortem ostendis? Pone nugas istas, pone terricula, quibus stultos, & Cimbricos obstupefacias; Romani, & mei est, nobiliorem expectare cadendi morem: sin moriendum est, en propatulum, coram Populo potiùs educite; ubi, oculis, manibus, cruribúsq; defossis, per singula membra moriar. Eodem nos omnes infirmo ritu, eâdē imbecillitatis lege prodimus in lucem, Parē (q; nascimur, Fortes tantùm moriendo probamur. Discedas jubeo; Egóne, qui toties à fugâ, toties ab exilio Augustior redii, qui tot Senatûs & vidi, & feci funera, Cujus denuò civilis insania tanto furore detonuit, ut No-

men prorsus in honorem transiret meum, Te jam Carnificem extimescam? Romanus hoc odit Animus; odere, quæ adhuc circumfero, licèt incarcerata latera. Septies consul fui; Triumphavi de Teutonibus, de Lybicis, de Jugurthâ, de Cimbris; sæpe Syllæ, (Parva refero) sæpe Romæ me viribus opposui; majora siquidem hæc sunt quàm ut unico ictu expirem, & ictu tuo. At obloquentem audio; quid dissidii in Foro, in Circo, in Patentibus Templis non Marii fuit? Quas ubique non movit seditiones, quam non urbem, Quem non populum inter se divisit? Quid inde refert à quo perditissimus hic Fatum accipiat? Eò magis refert; nam quæ contumax Tu effudisti, honestârunt Marium Facinora, donârunt Apotheosi, & ex eo plus merui, quòd ultra Aliorum vires peccavi. Nihil quod feci, me fecisse pœnitet, nisi unum hoc, quòd fugam Capessens, inter Paludes delitui, (suum licèt nec ipse Jupiter dedignatus est Latium) sed Major eram, quam ut lapere potuerim; nôrunt hoc Cimbri, qui paùm audacter apprehendentes me, in carcerem dejecerunt: & jam video immanem aliquem, qui me occideret: Accedat, de-

jectus, non Animum dejeci; Libertatem amisi, non linguam, manet hæc minis, & horrore armata, quæque Carcerem pariter, ac Carnificem contundet: Túne Cajum Marium occides? hæret anxius carnifex, stupet, retrahit vestigia, & quam porrexit, revocat manum, pudet tamen sic revocasse, dum senem, miserum, inermem vidit Marium: Novos inde resumit Cimber animos, sed hec adhuc illos, qui moliri quid ausi sunt, adeò inter catenas reveritus est hominem, quem nuper inter Arma timuit, & vires esse ultra suas putat ut ipse unus Marium interficeret, qui tot, & tantas profligavit Gentes. O invictum Marii Animum, quò non solùm inimicorum furor eluditur, sed etiam ipsis fatis imponitur! Proh miram constantiam, & stupendam hominis Audaciam! qui morti adjudicatus, mortem contempsit, & tanto major evasit, quò miserior! Illa siquidem magno & impetuoso Animo inest Majestas, ut illum extra Arma timeas, etiam & inter vincula reformides. Sic in ipsorum opprobrium apprehenderunt Cimbri Marium, quibus ipse superior est, & vinci nescit.

## *Amphora non meruit, si pretiosa, mori.*

BIbulis adeste auribus (Academici) Dithyrambum sitatis, aut (quod magis ridiculum sonat) oratiunculam; Quàm jocoso me vellem circumstipatum choro, nullásque in fronte rugas perlegere nisi chachinni illas & risus. Genialis falerni Encomiastes acidam vel faciem perhorrescit, quódque semper, & ubique nauseat Orator, ne sentiat in aspectu acetum; Date mihi vultus ornatioribus undiq; gemmis intumescentes, adeó ut nova crederem larvatos Indiâ potius, quàm Quadragesimali contractos supercilio, viri Baccho soluti censuram non aliter quàm illius poculum, facili digererem stomacho, quippe nec uspiam prodeat criminis conscius, sed erroris, & potius titubans videatur vacillare in offensam, quàm consultiùs irruere: cujus innocentiam candidiori au-

sutumno tantùm vino debitam, & cyathis. Urgétne ad sitim Poëtica flamma? hîc unda verè Caballina, quicquid enim jactant nobilioris ingenii poëmata, Musarum instar, amphoram agnoscunt, & sodalitium; quàm felix itaque evaserat Peripateticus si in hoc solùm immersus Euripo, ubi vel in fato vixerat. Te lentum provocat ad vindictam languidior ira? Militarem rumines cauponis disciplinam qui abundè salutiferum tibi effundat consilium, & armorum instar pocula ministret militiam solummodo minantia suaviorem. Consule tandem Narcisse poculi orificium, quodnam tibi cognatius videatur speculum, quàm vitreum repleti calicis flumen! at si veteris pœnitet favoris, si in austerum macrescere aspectum disce deploratas rorantis poculi lachrymas, disce reverendam canthari faciem serium monastici Doctoris Emblema. Sed obtrudes ægrotantem corporis compagem, intúsque venenatum sanguinem; Eccam portionem! Eccum antidotum! apagè proscriptam illam sobriam Hippocratis medicinam, nulli, nisi medico salutarem; Ecce amphoram; materiem, Paracelse, furto tuo honestatam! Hinc re-

divivos percolâsti ſpiritus tuos, hinc rebulliit ſalutis tuæ ſcaturigo, hinc decrepitæ naturæ renoves virtutem, adeò ut ſenecta adoleſcente ſuperbiat Silenus. Tum facilè agnoſcamus vino intereſſe Numen, dum Genus perenni ſerie reparat humanum, cujus benevolentiam, ſi ingrato violes contemptu, & Sacrilegii reum incuſem & homicidii, proprium adeò acceleras fatum, dum irafcaris antidoto, fataliqueindulges vulneri dum jugulas medicinam. Quiſnam igitur imperioſus cœnopolii Dictator, mancos debere hauſtus & dimidiata philoſophatur pocula? Quid hoc aliud eſt quàm ignavo ore Nectar haurire, & jejuno oſculi libamine fœcundiorem ſalutare crateram, ut inde effuſus torrens migret in ſtagnum? Sapientum Octave, diſcas ex modeſtiori repudiati Falerni aſpectu erubeſcere, diſcas ab exſiccato poculo ad hilaritatem uſque ſitire. Temulentum liberius potandi genium crimen agnoſo, Hinc exulet. Sed illius ingeninm, qui calumniaſuperſtitem cõvitiatur merum, non ſecus ac cyathi metallum, plumbeum denuncio; ſtupicúmque; Vini hauſtum volo ut Orationis, brevem & expeditum, at exugi placet, ut liquor pretioſus non ſit rapidus.

dus. At nè diutius apud vos morer, pereat infœlix posthumæ Rhetoricæ memoria, nostrã dediscatis Panegyrin; nec laboretis, precor, verborum crapula (memores compotatores) licèt enim ævum exigat amphora, meruit saltem Oratio mori.

VIR

*Vir Ornatiſſime,*

REpullulantes tibi gratulor faſces, quos tibi iterum germinare non miror, quia ſollerti primos irrigaſti labore, non enim aliundè delata incumbit moles, ipſe tibi donaſti curas, inerti quippe & otioſo ſecunda nunquam defertur dignitas, ſic Marium ſic Marcellum fatiſcens ſæpius popoſcit Reſp. ſic non tam homines quàm merita perſpicacior provexit Senatus, non edictis, non mandatis amplius opus eſt, hæc animis noſtris altè adeò noviſſimum impreſſit dominium, ut jam ſine hortatu ſine minis progrediamur, Ædemque tanquam machinam tuo ſpectes moventem pondere: ſed tanquam ſub uno onere præpotens & activa adeò otiaretur virtus, ſuffecturis humeris binum imponitur cœlum: Addat annus novum tibi quilibit honorem, & fœcundo meritorum ſtemmati reſpondentibus præmiis victa tandem & impar cedat Arithmetica.

Quòd

QUòd alumni fruor prærogativâ; quòd recto excipior & ferculo (vir colendissime) pene dixeram, parùm est: dum beneficia tua cogito, penè obliviscor regia; latiora sunt illa non chariora, & magnificentiâ præstant non merito. Sentio enim hæc mihi non tam nutu tuo & sedentario consensu collata, quàm studio promota & molimine maturata beneficia. Dum me quæris, incitas, & morantem arguis & benevolentiæ quodam fervore ad exitum usque fœlicitatis meæ perducis, facis ut recordatione tui plenus ampla hæc augusti fundatoris munera penè non æstimem ut tua æstimem.

Nec

NEC possum (Vir Spectatissime) limina vestra præterire licèt segnior accedo cliens, mallem scilicet inter tardos recenseri quàm ingratos, præsertim ubi tanta debetur gratitudo. At nihil tandem attuli præter tritum illud εὐσεβείας; columbam affero, Hecatomben debitam agnosco, habet tamen & hæc columba mea labes, ipsûmque hoc piamen alterum exigit. Debuissem fateor novum Tibi gratulari Annum, quod quoniam intempestivius forsitan nunc audiat, liceat oro infractum in miseriis Animum gratulari. Verè jam fulges, quamvis labantis Ecclesiæ Lumen, qui palmæ instar efflorescis: nec arbusta nos animum despondemus, habet enim & mala fortuna levitatem, aliquis carnifici suo superstes fuit; at cur tam levibus me focillo remediis? Vestram potius suspiciam, vestram imiter magnanimitatem, qui supra fortunam vivis, qui nec projectus projicis animum, vires sumens etiam à vulneribus, adeò ut licèt damnatus audias, candidatus vivas. At quocunque exulemus, nè utriusque partis inimicitias feram, fidis æquè ac perfidis exosus, vestram obnixè veniam flagito, & Patrocinium.

Liceat

LICEAT (Vir Digniſſime) non lachrymas, ſed vota ferre, nec lugubres meditari Elegos, (quamvis & hæ (heu!) nimis aptè conveniant diei) ſed feſtam Cantilenam, pióſque riſus. Sint læva ſenatûs Fulmina pro fauſto omine renaſcentis Anni; & ſi Te Tua Laurus non protegat, irrue intrepidus, Capaneus alter, & ſtrenam puta ipſum ſic mori. Si defenſus Carolus ſit crimen, ſi Academiæ patrocinari, ſceleſtum; nè ſis tu innocens. Hoc luiſſe, non ſupplicium eſt, ſed Martyrium; & vel amputatum Caput manet Corona. Hunc Oſtraciſmum, hoc nigrum Theta, qui metuit, meretur. Gratulamur Tibi iſta ſcelera, has pœnas. Eja, Fac fortiter (quod facit, qui miſer eſſe poteſt) nec dubita has ipſas (quas priùs dominus Noſter ſacri ſui cruoris Primitiis ſacraverat) Calendas Tuo vel Sanguine Inſignire.

Face-

FACEREM equidem impudenter, ſi lecto jam exuſcitatus, culpam meam defenſurus, in conſpectum tuum, & lucem pariter prodirem. Neſcit equidem Epiſtola noſtra tam graviter delinquere; quæ humilis admodùm culpam quam admiſi non inertiæ meæ patrocinando delere ſtudet, ſed à te veniam Ignoranti impetrando. Quid, quod Novitius ego & Tyro Academicus, tantum crimen auſim admittere, ut tui ordinis et gradus virum magis (quàm par eſt) neglexiſſe videar? Egóne ut ultrò quam læſi dignitatem venirem exoraturus? Satis equidem in pœnas facit, hæc gravis & cumulata criminis mei recordatio. At cùm de peccante ſeverè ſtatuendum judicas, unà & Tyroni gravem te reminiſcaris: acriter equidem animadverti poſſit in Delinquentem, niſi ſi parcendum eſſet Novitio. Fas enim eſt, ut qualis ſis, quantumque poſſis ſciam priùs, quàm ſentiam.

Scis

SCIS (ſpectatiſſime Mecænas) antiqui moris eſſe, ut primâ recurrentis anni luce, debitum, Solennius celebretur obſequium: noſtram tu melius inſtruxiſti gratitudinem & aptiorem exquiſiſti colendi methodum, ut meritò dubitem utrum miſerius fuerit quod unquam, an fælicius quod tum abſueris: nam qui primum redeuntis anni diem obſervant, ceremoniæ mihi videntur obſequi, non Mæcenati, & gratos quamplurimum ſeipſos indigitant, quia iſtud fieri ſolet, non quia debet. Iſti quem colunt, induunt Janum, & binâ effigie non tantùm quæ acceperunt, intuentur munera, quantùm quæ accipiant. Noſtrum vehementer triumphabit obſequium, ſi Mæcenatis indulgentiam mereatur, expertum eſt etenim jamdudum donum. Quod renovati infantiam Jani indicat, Calendarium dicatur, nequaquam Epiſtola, in quo penitus omittitur Rubrica, niſi reaſſignetur Mecænatis auro: tali non opus eſt mihi incitamento: nec neceſſe eſt, ut ad referendas gratias ſeponatur aliquis unus, cùm materiam referendi præbuerit dies unuſquiſque. Obſervent igitur ſibi diem alii, tota non ſatis eſt vel ætas mihi.

Non

NON temerario Partu (Vir Colendiſſime) grata noſtra erumpit Pagina: Nec ad tuam licuit properâſſe benignitatem. Sic forſan Rhetor prodirem, at Impius. Annum certè à cultu tuo, non à Faſtis computandum æſtimavi: quem benigniori veſtro intuitu, ſemper lætitiâ novum redditurus es. Sic igitur fœcundioris dominii tui renatos gratulantur Faſces. Quos formidamus quidem, ſed & diligimus. Non enim trucem prodis vultum, ſed gravem, & ſenatu dignum: Solis inſtar curſum peregiſti, eundem iterum feliciter peracturus. Cujus tepefaciens ſerenitas Annum ſemper auguratur felicem: non fulmina prædicens, ſed oracula. Pergas igitur Ipſe maximum officii decus, & ornamentum. Pergas qua duxit innata tua humanitas: Sic nec vitiis laboremus, nec otietur Virtus.

(*Dignissime Vir*)

NON est auctoritatis tuæ reverentia, quæ imperavit mihi totum præsentis officii pensum, aliquam Religiosæ mentis victimam immolare jussit privati affectus conscientia; ideóque ut te totum colam, dividam officium meum, & gemellâ strænâ Jano simillimâ litabo obsequiũ Præfidi & gratias Mæcenati; clientem tuum ad alterius provinciæ honestamentum indefessi amoris industriâ evexisti; secundi etiam voti ambitionem coronasti & ostendisti sanè quam non pænituit Te prioris suffragii, iterum favendo, quàm suspicio affectus tui fidem, quam agnosco annuæ indulgentiæ pertinaciam! Dimitto Calendaria & festæ lucis argumenta insigniores caracteres Jani adventũ fœlicius testantur amoris tui statæ vices; & fideliori notâ indigitat nascentis anni festivitatem revolutum Mæcenatis patrocinium;

ut igitur quas debeo gratias ſtudioſæ pietatis anxietate reponam, præfecturæ me totum non impendam; Te impenſius curabo, & major fiet provinciæ colere Mæcenatem, quàm legere Ariſtotelem.

POST

POST ſolennes literati feſti applauſus, alios formido ſtrepitus; Poſt Comitia publica & lætiora, privata vereor, & ſevera. Qui accuſat, qui ſiſtit, denegatur; querelas audio, & quærentem non video: In nube fodior, in occulto petor, & ad fidem ſatis eſt una Cuculli authoritas. Beneficium mihi factum eſt non citò periiſſe; & amplioris erat inſtar muneris, quod non inter crudas & recentes adhuc querelas raperer in ſupplicium. Inſtat jam acrior hoſtis, quaſi alter Fabius cunctando fortior: Tuum tamen eſt rem noſtram reſtituere, ut eâdem Clementiâ quâ pœnam diſtuleras, etiam auferas. Aliqua ſanè labes innocentiæ eſt accuſari: & poſſe vulnerari, quamvis non plaga ſit, erit cicatrix. Si pereundum tamen ſit, Tuo ſaltem ore perirem, ut fati atrocitatem æquior penſaret Author.

(*Colende Vir*)

LICEAT jam tandem vota vel ſera præſtare; Liceat & cum anno renovatum ſentire Candorem Tuum; Officium mihi non ſuggerit Ephemeris ſed Animus, nec tantùm Magiſtratui ſed Viro lito. Nolo ego Obſervantiæ meæ teſtem, non diebus inſerviturus; Qui Faſtis anſam præbentibus ſalutant, ſolennem conſuetudinis pompam, non Patronum colunt, & obtrudi potiùs videatur officium quàm offerri. Gratulor Tibi renatam provinciam, eodemque dominio rurſus occupatam gaudeo virtutem: tam ſpectatam hucuſque Authoritatem non liceat jam dubitare, reveremur, non metuimus. Non ſum reverſus ut ſiſtam, ſed ut animo progrediar, cui profectui nihil deeſſe poteſt niſi Favor Tuus; Tuo herclè fretus patrocinio conſtantiùs Artibus incumbam, nec non (uti ſpero) fœliciùs.

Ar-

# Artium Candidatorum Epistola

Una & Altera, post

REDEMPTIONEM

A Servitvte, & Tyrannide,

Ut postliminio recipiant quod Jure, & Merito vendicent.

*OXONIÆ*,
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impensis R. Davis, 1668.

# Artium Candidatorum

# Epistola

Una & Altera, post

# REDEMPTIONEM

A Servitute, & Tirannide,

Ut post liminio recipiant quod Jure, & Merito vendicent.

---

Oxoniæ,

Excudebat H. H. Academiæ Typographus,

Impensis R. Davis, 1668.

## *Reverendo Decano & Capitulo.*

EN Vobis (Mæcenates Benigniſſimi) Scholarem veſtrum, poſt Quinquennale exilium, quo aquis Caſtaliis atque igne illo ſacro interdictus eſt, Academiam, & (quod in Academiâ optatiſſimum ducit) veſtrum favorem ambientem. En Regiũ Militem, infœlici atq; communi fato exauctoratum, togam (more Romano) repetentem; Earúmq, Artium candidatum, quibus tot laboribus, tantóque ſanguinis diſpendio militavit. Hoc ſcilicet Curarum Vigiliarúmque honeſtamentum, hanc Militiæ Coronam exopto; ut togâ Magiſtrali liceat cicatrices velare, utque eum gradum mihi veſtra munificentia indulgeat, Priuſquam gradus omnes iniquâ æqualitatis lege confundantur. Procul abſit à benignitate veſtrâ, ut eandẽ Pallada, quam in

Caſtris hactenùs Ægida, Galeámq; geſtantem ſecutus ſum, hoc ſuo in ſacello adverſam ſentiam, atque hoc etiam noſtro infortunio accedat, à vobis repelli; Belloq; finito denuò profligari. Auſim tamen (ignoſcite audaciæ militari) favorem veſtrum toties expertus, ſucceſſum mihi polliceri, quo adepta Vobis munificentiæ veſtræ Trophæa grato animo extruam.

*Reve-*

*Reverendo Decano & Capitulo.*

*Viri Dignissimi*

NOCTE expulsâ effulgeat dies, sævásque furiarum tædas evadens, optatam flagito lucis usuram; inter errorum nebulâ obumbratos jamdiu languido, serenius ex fronte vestra emissum arrideat jubar: nolite in mediam furentium turbam caput immittere vobis devotum, perque arma stricta modò vix elapsum. Non tanti sunt, ut amplecti cuipiam, quæ passus sum discrimina; nemo est qui vestem Neptuno, quem semel iratum sensit, gestit consecrare. Sin liceat in portu jam quiescere, me fateor benè navigâsse, cùm naufragium fecerim. Ipsa etenim omnia auxiliari videntur, quæ ad vos ducunt

cunt pericula. Nauſeo fœcem regni in tumultum contra Regem efferveſcentẽ, horreo ſpiritus igneos, flammas quotidie evomentes, pulpitáque prælijs ſudantia. Inter columbas geſtio vivere ſacram in ore olivam præferentes, At non ita paci ſtudui, ut pro Aris,& Rege non ſuccumbam. Si eò res redijt ut ſola in armis ſalus ſit, ſentient Rebelles nullam ſine Ægide Minervam, nullúmque ſine Arcu Apollinem.

In

# In Paſtorem Parochiæ de Piſly ædificantem ex Monumentis, & defoſsis ſepulchrorum lapidibus.

*SI quis ades longis avidus ſpectator ab Oris*
*Viſa relaturus Patriæ miracula Genti,*
*Ad vicum nuper celebrem (vocat Incola* Piſly*)*
*Tende cito paſſu, quo ſpectes auſa prophani*
*Artificis, ſtupeaſq́ novi fundamina tecti.*
*Non tibi promitto turres, aut qualia Memphis*
*Culmina jactavit; quam nos oſtendimus orbi*
*Materia eſt miranda domus; placuere revulſi*
*In muros tumuli, raptiſq́ palatia ſurgunt*
*Membrorum ſpoliis; nimirum, indigna columnis*
*Materia eſt, quam dant communis viſcera terræ*
*Conceſſiſq́ pudet ſcrutari ſaxa Cavernis,*
*Marmora Sarcophago quærunt, buſtiq́ refoſſi*
*Congeries muris præbet fundamina multis.*

*Nec*

*Nec facit hoc unus, Sanctorum prædo patronos*
*Invenit, vesani omnes in vota Clientis*
*Conjurant, sceleriq; favent suffragia vulgi.*
*O quàm nulla fides, pietas quàm nulla moratur*
*In terris? en grande nefas, & crimen in uno*
*Rarò deprensum quondam, jam turba patravit;*
*Communi venia Manes transferre revulsos*
*Permißũ, et populi scelus est violare sepulchra;*
*Diruta Virtutis tollunt monumenta relicta,*
*Insuper Augustum pereunt servantia Nomen*
*Marmora, & ingenti deletur fama litura,*
*Quis poterit digito monstrari, & dicier hic est?*
*HÆC mors sola pares fecit, discrimine nullo*
*Heroes, vulgusque jacent; O funus, & ingens*
*Luctus! post totidem revoluti temporis Orbes.*
*Annorúmque vices redierunt fata sepultis,*
*Et conclamati rursus planguntur amici:*
*Majus prodigiũ querimur, jacet inclitus Heros*
*Cui populus sua templa, et structa altaria debet,*
*Infelix nuper potuit jactâße sepulchrum*
*Insigne, atq; umbras tumulo superâße minores,*
*Marmoreâ veneranda strue per sæcula moles*
*Multa stetit, titulóque pios monstravit honores*
*Defuncti Domini, hanc etiam divellere pergit*
*Audax Sacrilegus, nescit lenire prophanam*
*Prædonis rabiem tantæ Reverentia Famæ,*

Nec

*Nec meruit pulchri tam ſanctũ marmor honorẽ*
*Muneris, in turpes abeunt monumenta Caminos,*
*Et quod clara diu ſervavit nomina ſaxum,*
*Stat (dolor!) inviſa fœdum fuligine flamma.*
*Di faciant, rapiente focos ultrice favillâ*
*Juſta prophanatos placent incendia Manes.*
*Numina jam caveant, ſanctiq; Altaris honores*
*Sacrilegam expectate manũ, tam nobilis umbræ.*
*Parcere qui neſcit tumulo, delubra Deorum*
*Diruet, & ſtratis fabricabit mœnia templis.*
*Sed quorſũ hæc? quorſum chartæ, calamiq; que-*
*Clades artificem damnat, faſtigia nullo (rela?*
*Tormento quaſſata ruunt, nec nata favillis*
*Corripuêre trabes manifeſtæ incendia flammæ.*
*Creſcentis dirimit ſcelerata exordia monſtri*
*Secretæ vindicta manus, in fœdera belli*
*Conjurant læſi manes, atq; agmine facto*
*Clauſtra Erebi reſerant, dominumq; impune relinquunt,*
*Defunctorum animæ, tam juſto Fata furori*
*Cedunt; ignoſcit Minos abeuntibus umbris,*
*Vindictæq; favet ſtygii inclementia Regis:*
*Sedibus exciti juncto conamine factum*
*Invadunt irati hoſtes, fragor æthera pulſat,*
*Nullas vicinas, nullius murmura vocis*
*Concutiunt aures, arcani viribus hoſtis*

*Collap-*

*Collapsum procumbit opus, ruit alta columna*
*Occultâ subducta manu; ruit ardua muri*
*Fam structi moles, tacitoq; impulsa vigore*
*Culmine truduntur violati pondera saxi.*
*Nec sola occurrunt læsi monumenta sepulchri*
*Tollenda, & vetito surgentes marmore muri,*
*Inveniunt diris inserta cadavera tectis,*
*Plenáſq; aggestâ membrorum mole cavernas;*
*Ossa vacat pars nulla domûs; hic figitur ingens*
*Dorsi compages, fas illic (credite) longas*
*Costarum spectare trabes, cervice rectum*
*Hîc caput est, illic immania crura columnæ*
*Officium subeunt, vivosque imitata labores.*
*Sustentant proni nutantia pondera tecti*
*Stat monstro ignoti sceleris stupefacta caterva,*
*Miraturq; novos defuncti corporis usus,*
*Nec mora: quæq; suos Manes ulciscitur umbra;*
*Hæc notas prensat maxillas, illa lacertos,*
*Thoracem rapit illa suum. spirantibus olim*
*Officiis dignum, feralem hæc dejicit altis*
*Avulsum tectis humerum, per inane voluta*
*Ad terram recidunt miseri ludibria trunci;*
*Ponderibus crebris tellus pulsata dehiscit,*
*Et quodcunq; cadit projectum culmine membrũ*
*Sponte suâ gestit tumulare, atq; ossibus ultrò*
*Reddere defunctis erepti jura sepulchri.*

*Adsis*

*Adſis funeſtæ ſceleroſus Conditor ædis,*
*Perſcutare domos, & ſi quid corporis Umbra*
*Neglectum remanet, cape tu, raptâſq; repone*
*Relliquias tumulo, ſecura in pace ſepultum*
*Expectet Corpus renovandæ gaudia vitæ,*
*Et ſolos redituræ animæ ſervetur in uſus.*
*Ite domum fortes Umbræ, properate relictas*
*Securæ ad tenebras, poſthæc ſub nocte vagari*
*Non opus, aut charæ excubiis defendere membra,*
*Poſt hanc vindictam, poſt hæc miracula nemo*
*Audebit Sancti pacem turbare Sepulchri.*

Upon

*Upon a Church-yard that was partly turn'd into a Garden, by Mr.* Barradale, *the worthy Vicar of the Pariſh* Eaſton-Neſton *in* Northampton-Shire.

SIR, you have ſuch a Reformation ſhew'd
That ev'n your church's ſervice ſhall be ow'd,
And her own Collects thank you, ſince you were
As well the Patron, as the Parſon there.
Your work is part of Scripture; it may be
A Sun-daies work to preach this husbandry;
For ſo God's ſpouſes garden (who ere reads)
Was dreſt with ſpices; Flowers were there (Myrrh,
but weeds.
His Church could boaſt of Cinnamon, and
Her woods of Cedar, & her groves of Firre,
Why ſhould not yours? perhaps ſome Zelots cry Fearing

(Fearing at leaſt *Ægypts* Idolatry)
Up with thoſe Garden-Gods, although even
thoſe (ſqueamiſh noſe.
Could ner'e yet ſmell them through their
Or leaſt ſome Heathen God, whom they'l
not know
Out of your Flowers conceptiō ſhould grow,
And you turn *Mars* his Prieſt, they do begin
To count the works of nature a grand ſin;
And take ſweet flowers in ſnuff; henceforth
'tſhall be ry;
An idol-Coarſe that's dreſſ'd with Roſema.
And Virgin-garlands plac'd upon a Tomb
A ſacrifice to *Flora* will become. (dry
O ſtrange miſconſt'red zeal! your husban-
Is of ſuch power, 'twont let corruption dye,
But Rottennes grows ſweet, and every skull
Stands for a pot of flowers: Armes that were
full (doe
Of fleſh, turn fertile mould; Dead women
Bring forth i'th' Earth, and bear their mother
too.
What high prodigious ruines were ſeen here,
As though your Pariſh ſtill the Chaos were?
Untill your care had given unto each Grave
The ſame life that the Saints there buryed
have:

Could ever death a truer ſleep be ſed?
The Earth's rak'd ſoft, and every Grave's a bed.
Here may be ſhewn where yond chaſt Lil-(lies are
Virgins as chaſt were buried, and as fair:
Under that knot of Pot-herbs there is laid
The nimble Huswife, or the Kitchin maid.
Cloſe by the Church doth ly in a fit place
A Puritan Midwife, o'regrown with herb-Grace.
So good mens virtues too, as once by blood
Grow up in herbs, and every Child's a bud.
On each dear Urn, as Mourners we can ſhew
More then Poetick Violets weep in Dew:
The Roſemary, and ſolemn Cypreſſe do
Not onely adorn, but live on Coffins too;
And ſacred Moſſe, that did inveſt old Stones
Is here good Graſſe; Beaſts may not feed on Bones.
Nor have the Parſons Hogs, or Calves (we ſee)
As much relation to the Church, as he,
And eat from it juſt as the owners doe,
Thy Fence hath profit, and delight in't too:
Such pleaſant Groves hard by that we may ſwear

When

When a Ghoſt walks the true Elyſium's here.
But what is more, Saints ſhall confeſſe that he
Which preach'd it, planted to Eternity;
For ſome of them, when the laſt day ſhall be
Will owe their Palms and Garlands unto thee.

## In adversa Poetarum fata Orpheus.

*O Nemora! O sylvæ! Pia quas natura creavit,*
*Ut trepidis umbras præstetis, et otia, Musis.*
*Ah nimis invisis Musis! quibus hospita tecta*
*Fam præbent Tygres, homines dū sedibus arcent.*
*Mitius excipiunt Pardi, et genus omne ferarū,*
*Quasq; negant homines, advertunt lætiùs aures,*
*Concentúsque leves, posità feritate, sequuntur.*
*Cernite discipulas volucres, aviumq; canora*
*Agmina; tam liquido didicêrunt murmure questus*
*Efformare meos, placidosq; effundere Cantus:*
*Impia sed dulces sic laudant secula cantus,*
*Dulcisonas ut aves caveis includere cerent.*

FINIS.

*Supplementum Noviſſimum.*

# IVNIORVM
## Ex Æde Christi
# Proluſiones.

*OXONIÆ,*
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impenſis R. Davis. 1668.



*Porſenæ inter alios obſes datur Clælia: cuſtodiam fallit, tutò Romam redit; per Oratores repoſcitur, redditur, remittitur, parte obſidum, quos velit ipſa, donatâ: Impuberes petit. Accuſatur.*

MAgnam Rem acturus prodeo, (Quirites) accuſo Clæliam, at non cum Scævolâ & Horatio jam comparatam, nec fugientem, ſed remiſſam Clæliam. En molli redit virginum & puerorum choro ſtipata; & quæ priùs hoſtes tantùm, nunc etiam fefellit Suos. Illa, quæ Tyberim equo trajecit, quæ nec militum vigilias, nec horrendum noctis ſilentium nuper timuit, vanos nunc, & planè virgineos oſtendit metus, pro iis ſolicita, quibus ipſa ætatis, & ſexûs imbecillitas tutius eſſent ſatellitium. In virgines, puerósque Porſena non ſævit; virilem quærit hoſtem generoſa dextra, & quem poſſe injuriam

riam inferre priùs credet, quàm intuliſſe? Non hæ lanificio & colo aſſuetæ manus Regem in Tentoriis ferro petierunt, non parva hæc & flagellando Trocho laſſata brachia ad pontem ſublicium, totum ſuſtinuerunt Hetruſcorum impetum. Scævolæ hæc, & Horatii crimina ſunt. Non acies hæc Tarquinios expulit, non (ut tu Clælia) fuga evaſit. At quid quod in hos ulciſcatur habet Porſena? Nec fortitudinis rei ſunt, niſi forſan paternæ, & ſic crudeli Aſtrorum decreto naſcantur ſcelerati. At in tantillis corpuſculis vulneri vix eſt locus, nequaquam crimini; & quid metuis ſi innocentes ſint? Crede, non tibi, & comitibus tuis cum barbaro hoſte res fuit, ſed cum Etruſco, penè dixeram, cum Romano. Teſtor Scævolam, & cives, & ipſum hunc Reditum tuum. Virginibus ille injuriam inferet, qui virginem remiſit? Ille malè tractabit pueros, qui permiſit tibi cum pueris, aut (ſi velles) cum viris redire? Ulciſcendi copiam non dat, qui injuriam meditatur. Sed finge Barbarum hoſtem, & qui Cœlum non hauſerat Auſoniæ. Illa jam tandem credis facturum, quæ adhuc non fecerit? Cum infeſtis utrinque ſignis ante urbem veſtram

ſtram dicatum eſſet, horum guttura non petebat vindex ferrum, & credis jam cùm inducias pepigerit, magis fore truculentum? Qui cùm virtutem Romanam ignoraret, Nobilem ſemper ſe præbuit hoſtem, volens eos Marte vincere, quos non & virtutibus ſuperaret, in eos ſæviet, quos obſtupefecit? Non te, cùm per Legatos reperiiſſet, arctiore clauſit cuſtodiâ, non harum virginum conſortio prohibuit, non te jocis expoſuit & dicteriis militum, ſed remiſit, nec (ut rediiſti) ſolam, at comitibus donatam. Si fugientis hoc ſit præmium, quanta erit relictarum virginum cura? At conſtat forſan de Porſenæ virtute, milites tamen ſuſpicaris; & quid ſi concedamus vixiſſe vos inter ſcelerum cohortes, militéſque, quos non tam emiſit patria, quàm eructavit; at nec iſta (qualemcunque te fingis) manus obſidione pudicitiam cingeret. In caſtris viriliùs peccatur; delicatiùs educati, non militis vitium eſt libido. At non ab ergaſtulis inſtructæ phalanges iſtæ prodierunt; commilitonum cinctus manu venit Porſena, non carnificum, nec patriæ ſuæ Medicus eſt, ſed Pater. Utcunque ſint injuriis impuberes obnoxii, ſint & milites, quos nocere innocuis non pudet,

det, Tu viros inter hos putares tutiores? Agnoſcerem quidem relinqui neminem horum meruiſſe, at relicti ſunt, quos magis expedit reverſos fore: ſint enim (quod credis) inſultantes hoſtes, & in viros ſanè potiùs quàm impuberes contumaces erunt. Quo animo injurias ferret robuſtior ætas? Magno ſcilicet, at hæ interim virgunculæ, & pueri ſe læſos eſſe neſcirent, vel ſi læſos eſſe ſciverint, putas adeò inter Etruſcos Scytham eſſe, ut non horum precibus & lachrymis moveatur? Tum reſpirare vobis conceſſum eſt, cum hoſtis janiculo occupato ipſis urbis faucibus incubaret. Quid Brutus, quid Horatius, aut Scævola fortiùs fecerunt? Jam & amicitiâ ſuperior Porſena eſt, & quam bello penè comparaverat, pace perficit victoriam; & hunc tu ſuſpicaris Cłælia? Hujus tù fidei pueros, virgineſque non credis? viros credis? Conſule matres Romanas; quanto magis fugere optarent Liberos, quàm ſic reverti? Quam æquo animo ſuam Etruſcis elocarent ſobolem, dummodo maritis fruerentur. Abducta in Tuſciam ſua, & Reipublicæ pignora cur deflerent, cùm non defuturum liberis parentem illic putent, ubicunque Porſena eſt?

At

At si fœminea apud fœminam ratio non valeat, respice eorum merita, quos reliquisti. Quot eorum obsidum capitibus honores, & fasciæ debentur? Hunc militaris Adorea, alterum ægri forsan, & innocuæ cuspidis hastæ expectant. Quid invides fortissimis adolescentibus decreta per Senatum præmia? quæ quantacunq; sint, tuæ gloriæ non obstabunt; sola in Foro marmore sublimis equitabis, forsan et ob viros reductos fuisset et alius honor superadditus. Jam verò, quòd non reduxeris, non finis rependi, nec tantùm viros deseris, sed etiam fortitudinem. Consule Senatum, nonne hæc Curiæ vox erit? Non nunc Virginibus indiget, ut olim in cunabulis, Roma; post tam longam obsidionem, virorum solùm, et frumenti penuria est, et vestros pueri, puellæque agros colent? Hi stivæ, et ligoni pares lacerti sunt? Hæc ora sudor et pulvis laborum decet? En poscentibus arvis deest adusta coloni manus, et pejus bello malum per urbem fames grassatur; et certè infantum in matrum sinus lachrymæ cadentes, solùm augere penuriæ sensum possunt, dum parentes liberorum magis, quàm suo jejunio macerentur. At optimè crescentis

tis imperii gloriæ conſuluit Senatus, cùm pueros hoſce, virginéſque Porſenæ tradiderit, certè non tantùm accepiſſe pacem proderit, quàm Obſides dediſſe. Parum eſt, quòd ſacros illic Augurii et Aruſpicinæ ritus imbibant, dum in progenie paternæ virtutis ſemina et igniculos potentior vicinus admiretur, ultra Aquilas veſtras volabit diſciplina, terrórque nominis Romani, dum futuras præcedat victoria accelerabit. Proprios jam roga timores, qui impuberes injuriis obnoxios eſſe ſuggeſſerunt. Non jam quæro, an nocere vellet Hetruſcus, an poſſit quæro. Quid hoſtes tantùm ſceleris patrare valent, ut vindicare nequeat integra jam Roma? Mittant ſub haſtâ molles et intactas adhuc veſtrarum virginum cervices; immaturas ſolvant zonulas, verberent, occidant; hiſce injuriis, hoc ſanguine Romano iter vobis ad victoriam ſterneretur. Non talis nunc eſſet Porſena, qualis, cùm Tarquinios reduxerat, credite jam vinci poſſet. Quid enim iſta ſuo ſcelere enervata manus contra ultores Deos, et Romanos valeret? Ille in Tuſcorum agros immiſſus Aries jam non magis bella, quàm Sacrificia deſignaret, Hoſtiæque à domitis hoſtibus

ſtibus verè nomen ſortitur. At inter Religioſos Etruſcos iſta non inveniuntur ſcelera: Quid itaque timores concipis hoſti potius incutiendos? Tum ſcilicet remitti meruiſſes, tum ſexûs tui conſuluiſſes gloriæ, ſi tenellos hoſce obſides relinquendo in hæc prorupiſſes verba, Exeo (Porſena) è caſtris tuis, exeo, ſed non qualis fugiebam: non jam virgines duco, ſed (quia ita permiſeris) viros. Ex his quippe noſtra conſtat Reſpublica, Roma civitas virorum eſt: Prætextatos puerulos, virginéſque tibi relinquo. Puduit ſcilicet eos deducere, quos ſcio, ad majorem virtutis fidem brevi fugituros. At quoniam peracta res eſt, fruere conſilio tuo, Clælia, & facinorum præmiis, quæ viris negâſti. Capitolium orans ingredere, & ob rem tuam, non Reipublicæ fœliciter geſtam, poſce ut ſupplicationes, decernat Senatus. Falleris, ſi te jam credas viciſſe Porſenam. Poſt tot virtutum utriuſque monita, hoc Thuſco erit inſtar triumphi, quòd conclamatis obſidibus valere juſſerit.

*An benè fecerit Hannibal, qui contra Romanos bellum gerens, milites ſuos, nè quid à fame paterentur, eos comedere aſſueſecit quos vicerant.*

*Non benè fecit.*

CUm inter cæteram triumphi pompam meritò celebrentur convivia, quæ victorum animos nuper lapſos lætitiâ erigant, & novâ vini copiâ effuſum reparent ſanguinem, ignoſcendum Hannibali putarem, quòd finitâ pugnâ menſas inſtruxerat, niſi eoſdem, quos convivis ſuis miniſtrâſſe oportuerat captivos, pro ipſis dapibus appoſuiſſet. Siquidem dum tot cadavera menſis impoſita intuentur, milites mæſtis ſingultibus ſe ad funera potius quàm ad epulas componunt, menſam feretrum eſſe fingunt, famulos tot veſpi-

veſpilones aſtare arbitrantur, pocula ſepulchrales urnas credunt, & ardentes lucernas tot tædas opinantur defunctis præferendas. Si quid vini, ut aſſolet, his epulis interſit, funeſtum videtur, & inter feralia reputatur. Adeò tota rerum facies mortis potiùs, & belli, quàm triumphi præ ſe fert imaginem; lacerati artus, & detruncata capita milites admonent ſe non convivio ſed pugnæ intereſſe, ubi quiſquis dapibus appoſitis cultrum admovet, gladio ſuo vulnus inimico corpori infligere ſibi videtur; ubi cruorem plenis ferculis manantem intuetur, ſibi in mentem venit ſe hoſtium ſanguinem effudiſſe; & quoties crudum cadaver in profundum alvi abyſſum immergit, inani gloriolâ jactitat ſe fortem herois animam ad Tartara demiſiſſe. Fidicines ipſi, qui alibi inter epulandum leni Harmoniâ efferatos molliunt animos, hîc tubicinum inſtar ad arma claſſicum canere, tympana muſica in militaria converti videntur, & mappæ cruore imbutæ tot rubris coloribus depicta apparent belli inſignia. Feralem cœnam! in qua ſenes ipſi ſua ſibi ſunt filicernia, qui ardentis ſtomachi calore decocti in ipſo Sarcophago ſortiuntur rogum, & flammas experiuntur

tur in ipſo gelu ſepulchri; ubi teneri infantes utero nuper prodeuntes, infauſto omine in alvum & viſcera revertuntur, quæque tenella moles haud ita pridem materno ſanguine concreta erat, circulo illius naturalis, quo ſanguis per venas circumeat diſſimili, in ſanguinem convertitur inimicum: ubi caſta virgo, quæ belli periculis ſuperſtes impuros adulteri refugiebat amplexus, in arctiores rapitur, & intimo conditur adulteri pectore, quæque victoris libidini cedere noluit, gulæ tamen iſtiuſmodi cogitur invita ſatisfeciſſe. Jam populum Romanum Carthaginienſes lupi prædantur, quorum majores humanior fera uberibus admotis aluit, & Romani in eodem ferarum genere barbaram ſævitiam experiuntur, in quo gemini fratres primitus experti ſunt tutelam. Miror ſingularem μετεμψυχώσεως rationem, ut lupi in homines migrantes, formâ magis, moribus minus priſtinam humanitatem exprimant, pudétque bruti rapacis animam è pectoribus humanis feritatem pluſquam nativam contraxiſſe. Suis inter feras parcitur ſpeciebus, quæque animalia generis proximitate conjuncta ſunt, horrent tam arctis connecti vinculis, ut in unum idémque corpus

corpus coaleſcant. Cognatæ inter ſerpentes maculæ criminum labe vacant, quæ raptum & vim provocent, & minimi ſerpentis virus antidotum ſat fortè extat in maximi venenum: Quod ſi Pœnus ſanguis nonniſi Romani mixturâ nobilitari poterit, en vivas virgines, quæ in lecti conjugalis ſocietatem admiſſæ prolem Carthagini numeroſam parituræ ſunt. Interea illo more barbaro ſuperſedeatis, quo non Romani, ſed Sarmatæ evaditis, & pectora veſtra, quæ tot Marti templa dicantur, in ſœtida, qualia in templis videmus, degenerant ſepulchra; ipſique vos armaturâ ære conflatâ circumquaque induti, tot fuſiles videmini intra vos ſepultorum ſtatuæ, & monumenta. Jam verò cruda humido ſtomachi calore ſubacta caro vegetari incipit, & genuinâ tranſmigratione in priſtinum corpus formari; infantes hoſtes intra veſtra naſcuntur viſcera, quibus enutriendis lac quale huic partui ſuffecerit, ſtomachi chylus miniſtrat. Difficile erit vobis hos inteſtinos hoſtes debellare, quorum arcem priùs expugnare non poteritis, quàm veſtra effodiatis viſcera, nec priùs congredi quàm per propria pectora ad pugnam aditum patefaciatis. In famem malè

conſuluiſti (Hannibal) carnes humanas depaſcendas inſtituendo, cùm ſic nova hoſtium proles intus ſuccreſcens ampliorem poſcat cibi apparatum, & militum tuorum quiſque numero intra viſcera ſua latente menſis ſtipatus accumbat. Quid opus eſt tam ferali poſt triumphum victu? an credibile ſit te vincere potuiſſe, victis autem cibaria non potuiſſe eripere? En! armenta per campos à te depopulatos vagantia triſti mugitu te dominum ſalutant, macella cæſis ibi à te ipſis laneonibus in veſtram ditionem rediguntur, & cultra mactandis animalibus idonea veſtri enſis agnoſcunt potentius imperium. Agri incolarum ſanguine pingueſcentes meſſem vobis ſpondent duplicatam, ipſique Agricolæ ſulcis ſuis ſepulti in ſegetem vobis uberrimam conſurgant. Eodem redit, utrum hoſtium gladio, an vomere terræ viſcera proſcindatis, cùm non minus vobis ubertas ex ipſa ſtrage proventura ſit, quàm aliis è cultura. Quid eſt ergo ut bellum gerentes famem metuatis, cùm ſic quælibet pugna meſſem ſecum afferat, & tot adſint autumni, quot prælia gerantur. Benigniorem cœli influxum, Gygántum more, armis, non precibus expugnatis,

gnatis, quoties largos ſanguinis imbres effunditis, & enſes veſtri, dum hoſtes metuut, in tot falces converti videntur, quæ futuræ meſſis omina ſimul ſunt & inſtrumenta. Sic liceat vobis carnibus humanis depaſci, poſtquam almæ Cereris utero in ariſtas renaſcantur, & genuino fornacis calore in panem coaleſcant, iis verò poſt partam victoriam carnibus veſci, ad quas comedendas ægrè quempiam coegerit longa obſidionis inedia, hoc eſt, milites, cùm triumphi deliciis frui debeant, ad extremas belli miſerias damnare, & eam calamitatem liberè ſubire, quam penè incredibile eſt quempiam è fati neceſſitate ſubiturum. Quid quod hujuſmodi conſilium incaſſum cedere neceſſe ſit, cùm ſi premente inediâ vincere non poſſitis, deerunt victi, quos poteritis comedere: ſi poſſitis vincere, haud erit opus ut victis depaſcamini, aut omnino de victu ſitis ſoliciti. Milites gladiis cincti ſibimet præſtare poſſint laneonum vices, nec arte coquinariâ indigeant, quippe fames iterando contracta optimum miniſtrat condimentum. Taurica Dianæ ara, ut ferunt, carnibus humanis depaſci flagitium eſſe vetat; quia in victimas cedunt tam ob propria quàm aliena delicta

licta ſuperis litantes. Advena mactandus tantùm cum ſolenniore pompâ ad funus ſuum ipſe ſuperſtes procedit, altare pro rogo ſortitus, exequiarum ſumptu vivus fruitur, & inter tales flammas expirare geſtit, qualibus olim intus agitante Deo incaleſcere conſuevit. Gloriatur ſe Microcoſmum interitu ſuo mundi majoris exitum præſagire, & iiſdem ardere flammis, quibus univerſa tum cœli tum terræ machina in cineres tandem redigenda ſit. Tu verò (Hannibal) carnes humanas non altari, ſed menſis imponi jubes, pietatem non promoves, ſed crudelitatem, & ſævitiam, qualem nullæ unquam expurgare flammæ, nulla expiare altaria potuerint. Tandem (Judices) à Dianæ aris ad veſtras confugio, vota facturus, ut qui contra barbari ducis ſævitiam pro virili meâ, quali, quali, huc uſque peroravi, ſummam (quali nobis opus eſt) apud vos omnes experiar humanitatem.

Syphacis

## *Syphacis Victi conjugem Sophoniſbam connubio ſibi jungit Maſiniſſa Victor. Defenditur.*

SI quid crudelius in captos conſuleret Maſiniſſa, (quod quidem Victori, ut nòſtis, fas erat) eſſet forſan unde pro roſtris prodeat defenſor dubius; Jam verò ſummâ ducis indulgentiâ, hoc unum ſibi perorandum reliquit, Victori ut liceat Clementiam Amplecti, qui ferire potuit. Captivos inter Regis ad genua procubuit Sophonisba, aliter nunc atque alibi indulgendum; Vitâ non ſatis eſt & Libertate donâſſe, virorum illud eſt, & militum miſereri; huic ſexui mitiùs parcendum: In fæminas ſi velis clementiùs conſultum, fruſtra gloriaris quòd non interficias, Occidis niſi Amas. Carceres certè, & Catenas evitâſſe ſe fortes gaudent; contractas frontes, duriores paulo minas, has illæ Catenas, hos illæ Carceres timent. ſiſte

ergo gemitus Regina, dux inquit: occiſos ſi lugeas cives, meis imperes, ſi urbium excidia, mea Regna vides; adeò nihil perdidiſſe te ſenties, præter has lachrymas, hiſce ego te labris premam, hiſce brachiis amplexus veteres, & delitias ſpondeo ſeu hìc maritum, en hìc Syphacẽ, niſi quod vinci nequeat. Me Duce hoſtes, aut ſuperatos ſe non ſentiant, aut ſentientes gaudeant, hâc arte æquâ fronte Laurus, captivum & Victorem unà intuetur, adeò in Conjuge ſaltem triumphat Syphax, & magnâ ſui parte Victor eſt. Non ea ubique eſt ferri clementia, quod Viros minatur, in Uxores emolleſcit, & Unico in ſexu hæret ruina. Mulieres ſpiculis impares imprecationes vibrant, votiſque, quibus ſolis valent, è longinquo feriunt. Hinc pares in illas iræ, ſtragéſque pares, adeò ubi Vires non poſſumus Odia punimus. Sed is Rex erat, violari animos & fortitudinem ratus ubi impunè graſſetur, armatus ſit inquit quem ego oderim.

Sunt quidem, qui ruptis mœnibus et urbe captâ bellum in Matronas & Virgines parant, & cæcis hoſtibus in Pudicitiam ſæviunt. Iſti non militum faciunt ſed Mœchorum exercitum

tum, nec Caſtra ponunt, ſed Lupanaria, Martémque in Priapo adorantes, nusquam belli mirantur Numen niſi cum Venere deprehenſum. Talem dux noſter horret militiam, neque enim in caſtra deſcendit Armatus Leno, aut ferro accinctus eſt ut fortiùs laſciviret. Non is præceps amor Regem, aut temerarius agit ardor, peractis ritibus, ſacriſque Templis Captivã conſolatur Innocens. Qualé ego (inquit) fugavi ducem, Te Martem teſtor, viciſſe pudet eum, miſerias ferre qui ſolus non poteſt. Si caſu Syphax ſerió ſtupeſcas tuo, Te unum accingas, ad lachrymarum decus, & dolentis meritũ, & ſic Toto fruare planctu. Uxoreum ſordet deputare ſuſpiriũ, & Vicario gemitu dolere. Reddi vero tuam, reddi vis conjugem, virum impudentem! quid a me majus imperares ſi viciſſes, ſi ideo uxorem, quia Tua ſit, poſtules, curnon et Regna petis, hæc etiam olim Tua. Sed iſta omnia penes me ſunt, aſtante Victoriâ & Teſte Lauro. Operæ pretium eſt expectare (Judices) donec occiſos numeranti cives, quos interfeci, videar Rapuiſſe Milites, & de tot animarum Latrocinio incuſer. Vos fortiſſimi Commilitones, ad vicinam urbem undique palantes, quod cuique libuit ſecuri deprædati fuiſtis,

nemo veſtrum qua lege præda, quo jure rogatus, ſatis juris erat poſſediſſe. Spolia hæc ego una, vix ſalva, quâ acquiſivi fama tueor, ſed Syphaci in majus innoteſcet me quoque mercedem manere, nè ſe Gratuitò ſuperatum jactet. Quid quòd data fide, & tori conſortio tibi deſtinetur? has ego Ceremonias Vici, & inter hoſtes connubia ſuperavi. Non ego jam quæro cujus olim fuerit, quemcunq; maritum deſponſatum habuit, Capta, Victoris eſt. Quicquid lata maturarunt prædia Vincentis meſſis eſt; foras Cererem, domi gazas deprædamus quia & ipſa conjux inter formoſam tantùm Supellectilem numeranda. Crede mihi, non ita duratura nuptiarum vincula, non ita ſempiterna res Conjux, hæc omnia ditionis facta alienæ tibi pereunt, Uxòrq; quoties capta Virgo fit.

*Patri in bello abſcinduntur manus, reverſus uxorem in adulterio deprehendit, filium jubet Adulteram occidat, nolentem abdicat; deſenditur Pater.*

NOn ego (Judices) vicariâ ultione, & deputatâ vindictâ olim gaudebam, acies teſtor, quibus mediis interfui notiſſimus veſtri, & Rei publicæ Aſſertor. Sed qui terrorem hoſtibus immiſi, jam impudicæ ſum uxori impar, ſola me poterant Adulteria ſuperare. At quamvis dextra mihi deficiat, ſupereſſe legibus ſpero manus, nemo hoſtium Juſtitiam obtruncavit, nemo Decretis nervos abſcidit. Si mihi abſenti violetur thalamus, ſi inimicos à vobis in acie propulſanti hoſtem in toro foveat conjux, aliquem certè futurum ſpero, qui vitiis bellum inferre velit, & de Adulteriis triumphaturus eſt. Lege cautum eſt, hæc ſcelera morte plectantur: ideóne verò hæc noſtra conjux evaſura eſt, quia

quia caſtigandæ adulteræ ipſe non valeam? Illa Judices (deficientibus mihi manibus) punienda laſcivia, non enim quia ipſe dextrâ caream fit Conjux innocens, nec ex noſtro infortunio caſta eſt. Si ideo inultum hoc facinus ferendum, quia ipſe rependendo non ſim, tum mea infirmitas injuriarum receptaculum ſimul & prætextus futura eſt, & legitimum populo fiat Adulterium, quoties marito fortior Mœchus eſt. Hac lege nemo uxorem ducturus eſt: niſi Robuſtiſſimus quiſque, & inviolati connubii pudicitia non Caſtitatem penes ſed Lacertos fuerit. Idem hinc in cæteris criminibus eventus, nam cædes vobis graſſabitur frequens, quia Cadaver ad ſuum non valet ulſciſcendum homicidium, Cinerésque ad vindictam impares. Celer pedibus, claudis furtum illaturus eſt, opésque non poſſidentis dominio, ſed rapientis agilitati ſubdentur, idem erit Currere & Diteſcere. Hæc vos domeſtica manent incommoda, majora foris. Quem hæc veſtra vobis ocia, ſalutémque veſtram ſuo credatis diſpendio mercari, ut ſecura ſuæ conjugi præbeat adulteria? Alia me in tot pericula, alia in hoſtes rapuit fiducia: ſic enim mecum exiturus, contingat

tingat (inquam) quicquid in bello queat, de uxore ſecurus ſum, ſin minus contingat tamen, hæc membra lacerent, haſce manus abſcindant, redeunti nunquam dextra defuerit, dum ſupereſt filius. Jam verò (Judices) poſt tot diſcrimina, poſt ereptas manus, hæc ultrò miſerum querela premit, quòd non & oculos perdiderim. Dii boni! quid ego mali merui, cur non in bello totus perirem? Non reſeratis foribus occludunt redeunti facinus, multùm veriti ne non deprehendantur. Non me præſentem, non læſi thalami reverentiam morantur, adhuc decumbunt ut diù rei ſint, & crimine fruantur. Quàm tuta ſibi dant invicem baſia, ita me compoſito intuentes vultu quaſi Ipſe deprehendar. Videre hoc piget, & non ulciſci; aut manus mihi dentur, aut eruantur oculi. Poſt infinita diſcrimina, poſt utriuſque manus diſpendia, adhuc victor, adhuc fælix evaſi, adeò nè Truncus quidem miſer fieri, niſi domi poteram. Sed hoc ego ulciſcar facinus, tum ferrum mihi, tunc arma quæro, ſed heu miſero etiam & dextra quærenda eſt. Quid faciam? indulgere jam vellem ſed deeſt patientia; ulciſci cupio, ſed deficiunt manus; ſolus ego ex omnibus maritis, nec adul-

dulterii vindictæ par ſum, nec indulgentiæ! O me felicem, ſi vel brevi ſiem qui olim fui; Nemo caſtam cariùs dilexit, nemo impudicam potuit fortiùs caſtigare; caſta mihi conjux vel impudica contingat, modò integer forem. ſed tandem filium accerſo, (nec adhuc adulter timuit, dicturus ſcilicet, ego & illum genui) adulteros occidas inquam, ſtat ille immotus, hei mihi & filio manus deſunt. Stringe (inquam) ferrum, ſæpe ego in aciem proceſſi, hoc eſto certamen tuum. Non eſt ut te in itinera componas, famámque procul remotam ſitias, te inter Lares hoſtes provocant, futurus es domi victor. Quid ita tremis? quid ita lenta in manibus hæret ultio? ſi Te parentis reverentia, ſi inane nomen [Mater] deterreat, hæc inſignia cum pudicitiâ ſuccumbunt, nec etiam Parricida eſt qui Adulteram occiderit. Sed jam impunè ſurgunt Adulteri, nec lectos ſuos ſecuriùs dimittunt, qui innocentes agunt ſomnos, & caſtiſſimas noctes. Nulla queruntur exeuntes vulnera, nullos pugnos, quaſi vindictæ ſatis ſit adulteris illatum quòd excitâſſem. Ibi vehementiùs paulò ad filium curro, minis, precibus obteſtor, nihil ago, eodem ſucceſſu ad ferrum properavi.

ravi. En (inquam) fili mihi manus abscinduntur, nullâne erit re conjux manca nisi pudicitiâ. Quid plura? Gnatum istum meritò abdico; Haud viri fortis & militis proles censendus est, qui inermes non potest occidere,

---

Cæsarem

## *Cæſarem veho, tamen timeo,*

vide p. 31. Cæſarem cum Amycla de illius metu expoſtulantem.

AN non timetis (Auditores) cum Cæſar periclitetur? Cum Illum quem non Gallia, vix orbis Romanus nuper ceperat, parvo clauſum Navigio audiatis? quod licet gubernare non poſſit, ſummam rerum poteſtatem ſibi non dubitat polliceri. Lauream, & faſces tum cogitat, cùm quilibet ventorum flatus, quælibet rupes, & aquarum Cumulus caſtigare vota videantur: Somnia, & promiſſum matris terræ Concubitū non excutit animo, cum vim Fatis etiam latura ſit tempeſtas. Deponere metum jubet, proh magis periculoſam ventis ſecuritatem! Cæſarem inquit vehis; agnoſco, ſed & adhuc ſomniantem. Morientium libera ſunt verba, Tenuiſq; Nauta Cæſarem poſſum ultimo ſpiritu objurgare, non eſt quippe intus ſecundo timori

mori locus, totus ex procella tremo, horreóq; actum eſt, & ſaluti noſtræ ſtridore venti jam dudum conclamatum. Soli ſumus, nullus Nautarum ſtrepitus, qui cum Cauri fremitu mare verberantis contendat, ut cognoſcas quàm deſtituti ſimus, nec Dii comitantur: Crede magis ab Illis, quam a terra diſtamus. Ipſa Venus Juliæ gentis Mater à te, & Nativo Ponto Nubibus ſubducitur, & Ledæi Fratres non jam alternâ nocte, ſed eâdem ſimùl caligine extincti ſunt, & poſt hanc in Deos, & Sydera violentiam, non timere jubes? Non de parvis, Cæſar ſolicitus ſum: ſed de genere Humano, ſed de Mundi Compagine: Non metuo demergi, en hæc qua jactamur aqua non minus terra mox erit, & Cœlum. In chaos volvimur, haud naufragium. Urget & tui lethi metus, obſcure peribis Cæſar: nulla vulnera nobilem emittent animam: non te longus ſequetur Ordo Cadaverum, aberit illa mortis Pompa, ſine ſtrage Cades, ſine cruore, ſine te[illegible]æ. Non in exercitus tui, nedùm in Aſtrorum conſpectu pereundum eſt. In tenebroſum mortis Dominum adhuc vivi devoluti ſumus; nox ſolem, procella Lunam deduxit, neq; unà jam obruimur Caligine, &

ſi

si quandoque benigniore Fulguris luce comburantur oculi, quid aliud videmus quam Fati certitudinem, mortésq; quolibet fluctu superbe obequitantes: & quis mihi dabit ut non timeam? superi? at illi quid hic agitur non vident, aut si videant, forsàn adjuvare non possunt. Crede pro Diis ipsis piè solicitus sum: An verò Cæsar proteget? Non eadem pelagi, quæ Campi discrimina sunt, non hic Fortitudo, non audacia præstat tutiorem; nec cum Pompeio, sed cum Cælo res est, cum Cælo novum mare diffundente. En Cymba laxis laterum Compagibus non minùs emittit aquæ, quàm recipit, & ne evertatur hoc solum præstat, quòd absorberi jamjam credamus. Non tot tibi (Rector Aquarum) ad miseros nos homunciones obruendos instrumentis opus est; exiguæ Naviculæ submersioni, sine scopulis, sine ventis, & oceano, Nimbus sufficeret. Et ubi promissa tua Cæsar, quum adhuc Cæsam tenui suffultam junco concuteres? quid proderit aurea illa spes quam dudùm concepi, quum dulcius palpebrarum conjugium graves pænè detinebat oculos, jam nunquam nisi æterna nocte occludendos. Eheu pro

opibus

opibus omnibus unicam si possis mihi præstes salutem, at non potes, Ille fluctuum congredientium fragor reclamat, quòd non possis. Magno a salute distamus intervallo, at quanto nescimus, est & hoc timendum. Heu quæ nos habet Regio, quis orbis? Iratum, simul, & Ignotum patimur Neptunum, Incertus nobis locus est, at spei nullus. Jam Montes aquarum scandimus, mox in convalles præcipitamur. Adeò Neptunus cum Fratribus suis sua miscuit imperia, ut in cujus simus ditione non constet. At ubicunq; simus hoc constat, in Exitium nostrum Cælum mare, & Inferos conspirâsse. Et nunc securum esse jubes? Deos quisquis neque punientes metuit, contemnit. Tu Cæsar, Iram Jovis non vereris, etiam Fulminantis? Humilem forsàn haud curas vocem, sed audi increpantem tonitrus mugitum: Sic, sic Irata loquuntur Numina; Fatere Cæsar, nonnè salsus sudor artus percurrens, magis ipsis fluctibus abluit animam? an non erectæ rigescunt comæ, laureâ suá jam destitutæ? Classicam nunc, & Tubas non audis, nec te Gradivus alloquitur, sed Tonans. En quam horribili luce navicula de cælo tangitur! viden' ut Ignis per-

rumpens fulmen clangat incenſis alis,& effer-veſcente mergatur voragine! nec Cœlo ſuo pepercerunt ſuperi, & Cæſari parcent? Et quid jam vidiſti non timendum! Hanc tibi vivendi ſpem an fluctus præbuerunt? Illi certe veſano impetu omnes in unam feruntur Cymbam. An te ſuperis dilectum credam? nonnes, Romam teſtor, & Capitolium, Auguſtam Illam Deorum ſedem, cui tu vim intuliſti; teſtor abruptas has, & rapidas ventorum periodos, & ipſam hanc tui ſecuritatem. Juſtè perimus, nec quòd obruamur Caſus eſt,ſed vindicta. Me Infelicẽ! Procellã timui, & tamen aliam magis timendam in Cymbã recepi,ſecurũ eſſe jubes quiaCæſarẽ veho, at turbo Cæſar eſt. Tace fortunã tuã,majora nos premũt numina,Roma,& Libertas. Noli te credere nunquam fore Infœlicem; fuit & Fœlix Pompeius: Ille verò, qui ad ſolis utrámq; domum victricia ſigna circumtulit, hinc Hiſpaniâ in Fide ſervatâ, illinc tot partis victoriis, quot nec populos eſſe priùs creditum eſt, per triumphatum a ſe mare lacerâ navicula, & penitùs quali nunc tu Cæſar, fugiebat. Deſine ulterius proſpera ſperare, en ſatis in venales ſociorum animas ſæviſti, Barbarum

barum Romanúmque ſanguinem indiſtincto diffundens gurgite, cædis jam plenus es, nec eſt quo ultrà tendat laſſata victoria. Abundè felix es, & ad victimam ſaginatus; jam fortunæ methodo cadendum eſt; cacumen attigit Rotæ quiſquis Pompeium vel ſemel fugaverit. Sed diffracta fugiunt Nubila, Diéſque ſe paulatim oſtendit, & cum die terra. Exeunt nubibus capita, & creſcere videntur Promontoria; ſubſidunt inſaniâ ſuâ jam laſſati fluctus, fremitum ponunt venti, & in conſpectu portus eſt. Adhuc tamen pro Cæſare noſtro ſolicitus ſum, fruſtrà ſcilicet nubes fugatæ ſunt, niſi & vos ſereno vultu appulſum gratulemini: Vos ab undis ſuſcipite, & ſic etiam à flammis tutus erit: aliter in hoc ſolùm Naufragium evaſit, ut Martyrio periret.

*Supplementum Noviſſimum.*

# EPISTOLÆ

## Petentes GRATIAM, & FAVOREM.

*OXONIÆ,*
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impenſis R. DAVIS. 1668.

Cùm jamdiu nimio ſole, divinóque Regiæ Majeſtatis influxu frueremur, ſupereſt (Vir Reverende) ut Tuum uſque imploremus; & quidem optimis auſpiciis tantæ Magnatum & Aulicorum pompæ ſuccedat iſte gradus noſtri honor à Te deferendus. Nimirum hic verus eſt Academiæ ſplendor, quo poſt tot annorum labores fœliciter exornamur. Dedignantur enim virtutes ſuum mutuari fulgorem, annuáſque curas, & lucubrationes ipſe literarum progreſſus compenſat. Vos autem in eo maximè alios antecellitis, quòd tantùm egregiæ veſtræ animi dotes vobis dignum cedant in præmium. Nos igitur nullam agnoſcimus lucem niſi à vobis reflexam, & quò propiùs in ambiendo gradu ad vos accedimus, eò magis ſplendorem à vobis acceptum referimus.

*Colendiſſime Vir*,

QUàm ſingularis bonitas tua ſit, quàm tibi propria & quaſi à naturâ inſita munificentia, abundè ex eo conſtat, quòd ſponte à te profluant beneficia. Non enim mihi nuper opus erat blandis Rhetorices lenociniis tuum favorem evocâſſe, aut importuno nimis obſequio à te extorſiſſe beneficium. Facilem ipſe & exporrectâ mihi præbuiſti frontem, quem etiam meritis diffiſum ſuis, & timidè hærentem ultrò accerſiviſti, ita ut veriùs mihi inveniſſe, quàm quæſiviſſe Mecænatem videar. Fœcunda adeò eſt tua munificentia, ut ſua geminet dona, & manu tuâ miſſum feſtinans beneficium motu creſcit ſuo, & grato impetu penitiùs noſtro ſeſe pectori imprimit. Magni equidem à me æſtimatur, ſempérque magni habebitur, quòd in me nuper contuliſti munus, cui utique æquale eſt nihil, niſi tuus ille amor, qui & ipſum dedit; illud ſanè me locupletem reddidit; Hic, quod majus eſt, me ingratum eſſe non ſinet.

Quanta

QUanta futura eſt Ædis hujuſce creſcens indies glora (Viri Reverendiſſimi) facilè divinet, qui vos videat tam claros Præſides, quippe non tam hîc alta murorum, quàm divinam illam ingenii veſtri celſitudinem ſtupemus, meritóque vos Capita vocari dicimus qui tam nobiles ſoletis impertire influxus, per totum meantes corpus, eámque ſuſtentantes vaſtam molem, quæ ablatâ illâ blandâ vi denuò labaſceret. Hinc eſt quòd ad limen veſtrum læti procumbimus, eáque tot olim accepta beneficia ſpes noſtras laxas eſſe jubent, gradúmque illum à vobis rogare, quò Socios nuper decoraſtis, nec nos medios ferè inter Triumphos labi ſinatis, & ad Aliorum palleſcere plauſus; Unumquemque enim è veſtro numero quaſi alterum Jovem ſuſpicimus, magnum ſimul ſydus, & in inferiora amicum, eâq; nolumus deſtitui blandâ luce, cujus vi omnes alii ſolent vigere.

Priori

PRiori anno, cùm Ædi huic pro tempore valedicerem, non ſine inſigni Tui favoris teſtimonio abire mihi videbar, qui Phœbi inſtar non proceras ſolùm arbores, aut fœcundas vites, ſed parvulam quamque herbam Tuo foves benigniore influxu, & ad humillima deſcendere non dedignaris. Hinc nemo mihi tam propè, tam proculque eſt, adeò ut quiſquis altitudinem Tuam metiatur, immanem cernat diſtantiam; quiſquis beneficia tua æſtimet, fateatur neceſſe eſt nil tam diffitum, tam remotum eſſe, quò calor ille vitalis, & lumen jucundum, quod ubique ſpargis, non poſſit penetrare. Gratulor itaque fortunæ meæ, quam proſperam hactenus, & facilem ſenſi, talémque adhuc futuram non contemnendo ab omine auguror, cùm apud tuas Aras litaturum memet iterùm conſpiciam, cujus tantúm ſereniſſimi vultûs influxum denuò petimus, & candorem iteratum. Ad Te quod attinet, Vir Reverendiſſime, virtutem tuam venerari non ſatis poſſum, qui tantâ es erga

erga omnes benignitate, ut licèt sæpiùs memineris Te esse mortalem, ea tamen facis, quæ immortalitatem merentur, quam Tibi optare non erit alienum. Cui voto cùm tua merita respondeant, liceat huic Ecclesiæ tantam felicitatem, mihi tantum Mæcenatem gratulari.

Magnâ

MAgnâ cum omnium lætitiâ (Vir insigniſſime) in atria, hoſpitia, reliquáque hujus ædis privilegia, atque emolumenta reſtitutus es: reſtat ſolùm ut ego pauperculus Cliens, Bibliothecæ clavem tibi exhibeam, ut tibi qui tot perſonis aditum ad literas dediſti, ego aditum ad libros humillimè aperiam. Non id ſolùm obtinere me ſpero, ſed ut ipſe, qui libros (Muſarum inſtrumenta) à ſitu, & pulvere cuſtodio, aditum etiam aliquem ad favorem tuum adepturum me ſperem.

Quòd

QUòd magnis licèt devincti beneficiis ad limen tuum trepidi procumbimus, facit & imbecillitatis noſtræ & dignitatis veſtræ ratio, uti adventante Numine fas eſt ſemper colentes turbari. Non ſolùm Gentium mos, ſed ipſa ratio nos edocuit, ut ad ſacra nonniſi reverenter accedamus, gratiórque æſtimandus eſt iſte horror, qui pio cordíſque ac oculorum tremore divinum aliquid præſens fatetur, ac coram populo dum adorat etiam eſſe facit. At verò cauſæ propter quas Te coli fas eſt, (Vir Colende,) non à potentiæ tantùm, verùm etiam à Clementiæ tuæ vi ſumendæ ſunt; & ita quidem Jovem, Deorum ſummum vocare ſolemus, non tantùm quòd magnum ſydus, ſed quod etiam amicum Terris illucet: ſic à nobis ſummo utrinque obſequio dignus es, tum quòd Tuorum votis ſupremus obſiſtere poſſis, tum quòd æquis benignus nolis obſtare. Hinc eſt quòd Candorem tuum interpellare auſi ſumus, ut peregrinandi gratiâ detrahere liceat vexatam diu togam, conſumptam penè lucernã extinguere, viréſq tuas è longinquo pauliſper experiri, hoc enim Tuorum utrobique fatum eſt, ut quanquam alio ſub Sole à cœlorum vi vivere credantur, dicantur tamen ſemper per Tuam vigere.

INstar rivulorum anguſto admodùm canali in patentem Oceani ſinum delabentium, ad Te (vir Reverendiſſime) humiliter accedimus, ut pleno tui favoris æſtu profundiores in artibus ſemitas eruamus, & munificentiâ tuâ altiori gradu donati tanquam aucta flumina, ſuſcipiendæ ſcientiarum navi nosmet ipſos magis idoneos præſtemus. Omnes quos accipimus honores, vobis totos debemus, & ut Proceres benignâ Imperatoris voce nobiles audiunt, ita nos veſtris ditati ſuffragiis quaſi Magnates Academici evadimus. Quantum máter noſtra Academia, quantum Anglia, quantum denique orbis univerſus tuæ debeat Vigilantiæ, effari nequimus, ſed uti Myſtæ ſacra ſua venerando ſilentio peragunt, nos etiam æterna virtutis tuæ monumenta, quæ exornare nequimus, cum admiratione ſaltem intuebimur.

Dum

DUm ad alios, tanquam privatos tantùm, Patronos ſupplices accedimus, Te (vir Reverendiſſime) ut ipſius Eccleſiæ noſtræ Ornamentum ſimul & Tutelam, & ſuſpicimus, & veneramur. Ad Te nempe tanquam ad Præſidium, Aſylúmque, ſe recipiunt ipſi mores, per licentiam dudum & barbariem antiquati, Tèque demùm feliciſſimo Inſtauratore renovari geſtiunt, & reviviſcere: Gratiam itaque à Te jam petituri quaſi ad Judicem confugimus, noſtrum non aliter quàm ipſius veritatis juriſque perpetui & vindicem & patronum. A Te nempe dari ipſe Magiſtralis ambit gradus, nec aliâ ratione ſperat vel nobis placere, quàm quòd à Te concedatur.

Deſeruit

DEſeruit olim Cæleſtes latices Deorum Pater, ſoliúmque ſuum aliquantiſper ſaltem Tonanti placuit in humilem caſam commutare. Exiguis adeſſe rebus Jovi ſemel adeò vacabat, contentóq; modico penu, neglecto Nectare, (etiam cùm ſenex eſſet) denuò ad nuces redire. Quod irrogatus præſtare non dedignatus eſt cœli Deus, ſperamus Témet oratum non negare. Nos ſiquidem pro Tenuitatis noſtræ penuriâ auribus veſtris epulas paramus, quòd ſi Deos imitari libitum eſt, aut cum Alexandro ſitim veſtram aquâ comprimere, Ruſticæ licèt ſint, Convivâ nobili carere non poſſunt noſtræ dapes. Non ii ſumus (Mecænas) qui otium aut ignaviam captamus, néq; adeò placidis defatigari ſtudiis, ut nihil agere cuperemus; Ambitioni, quæſo, ignoſcas noſtræ ad majora contendenti ſtudia, ſumma nobis requies eſt ſublimis labor, & cuicunq; ſua variare ſtudia conceſſum eſt, refocillatur quidem, & tamen laborat. Inertiam itaq; cogitare nos, fide majus eſt, rogare piaculum; nec enim noſtras ſperamus intermitti curas, ſed tantùm fæliciores fieri.

Non

NON dubium mihi & incertum videor appellare Mecænatem, ſed Patrocinium ejus obteſtor, Cujus Genium noto huc uſq; candore propitium ſenſerim. Ecce enim immaturum ſurculum, Cui ut illud contigit fœlicitatis, nobilioris loci geniale cœlum hauſiſſe, ita & hoc ſolatii manu etiam Tuâ avelli. Elapſum Matris Weſtmonaſterienſis gremio in Academiæ parentelam adoptare curâſti, ubi melioris virilíſque natalitii fœlicitatem jactaverim. Plantam, quam Ipſe tranſtuliſti conſummatâ ſpero indulgentiâ enutriveris, & Cui Penates indulſiſti, ipſe etiam & Numen Tutelare accedas. Hanc precor beneficiis Tuis ſolennem addas Coronidem ut qui Tibi inſertum debeam Nomen, debeam etiam & Nominis patrocinium.

*Benevola convaleſcentis Amici reſalutatio.*

NUper (Reverende Vir) diu vitâ vivere ferè deſperavi, cùm primùm rutilam evomere animam inceperim, nec mihi perſuadere poteram me longè à morte removeri, qui jam inter ſilentes numerabar: at poſtquã me viſere dignatus es, bonóq; animo eſſe juſſeris, ſtatim mihi viſus ſum convaleſcere, infirmum pectus meum verba tua confirmabant, & ſimul atque voces tuas hauſerim, fortiùs ſpirabant pulmones mei, & accepto oris tui ſpiritu magis quàm æthereâ veſcebar aurâ. Ipſa mihi præterita jam placet ægritudo, cùm in mentem veniat Te illam præſentiâ Tuâ nuper honorâſſe: pro quo inſigni beneficio gratias acturus venio, at tanto officio me non minus impãrem eſſe ſentio receptâ jam valetudine, quàm dum nuper ægrotabam; tacitus enim adhuc reſto, & ſilentium, quod priùs

priùs mea ſuadebat infirmitas, jam mihi humanitatis Tuæ imponit magnitudo. Bene quidem eſt quòd tacere cogar, ubi maximum eloquium non ſufficeret, ubi ſolummodò periculum eſt nè (dum ſatis multa loqui conarer) ſilentium abrumperem & veniam.

# Approbatio
# DAVIDIS IENKINS,
## Iuriſconſulti Clariſsimi,
ſuperiori Editione improvidè omiſſa.

APPROBATIO

DAVIDIS HENKINS,

Ballivorum Clerkenwell,

Regiæ Majestatis Justiciarii

vicecomitis.

*RICHARDO GARDINER,*

*ubi loci degenti, DAVID JENKINS*

WINDESORIÆ *in vinculis ſub truculentâ*

Cromwelli *Tyrannide,*

S. P. D.

*Egregie Vir,*

MUnus tuum nuper per manus dilecti filii mei lætè accepi, ago tibi gratias quantas animo capere poſſum maximas. Μνημόσυνον Amici mei legi, relegi; eſt Oratorium verè ſpecimen. Tu nihil moliris ineptè, præſtitiſti te Oratorem dignum digniſſimâ Academiâ, &, quod majus eſt, præſtitiſti te virum Probiſſimum; à veteri fide Deo & Regi debitâ non receſſiſti, rerum jacturam religioni, & fidei tuæ poſtpoſuiſti. Durato, & rebus temet ſervato ſecundis. Cura ut valeas, & me commendatum habe Commenſalibus tuis Fincheanis.

Tuus

22. *Maii.*
1656. *Da. Jenkins.*

# Reſponſum.

*Viro integerrimo, pluribus Nominibus honorando,* DAVIDI JENKINS, *Legum & Evangelii Aſſertori inſignissimo.*

OXON. Maii 22. 1656.

(*Vir perilluſtris, Fidei, Legi, Regi nate.*)

LIteras, quas mihi nudiuſtertiùs miſiſti, eâdem reverentiâ amplexus ſum, quâ alii ſolent Regium aliquod Diploma. Mutæ earundem apices in opuſculum meum pridem editum tuum inſpirant affectum, ægrè dicam judicium. Illìc, opinor, ponis perſonam Judicis, induis Amici; quod candor laudat, rectus animi ſenſus forſan culpat. Verùm enimverò, ſi aliquid doctrinæ, ac leporis in lucubrationibus meis ſtudioſa invenerit juventus, agnoſco me rivum eſſe, & à Donorum fonte accepiſſe. Herclè jamdiu obruiſſem te faſciis Epiſtolarum, ſi perturbationes, & violentiæ temporum

temporum formidinem quandam non incuſſiſſent. Siquidem paſſim prorepunt rumigeruli, qui etiam inſcriptionibus intendunt litem, quare ſatiùs duxi manum chartis ſubducere, quàm ſtylo indulgere. Commenſales noſtri plurimùm te ſalutant, nomen tuum reſonant, invictum animi robur admirantur, virtutem efferunt, prædicant conſtantiam. Ad me quod attinet, incorrupti zeli tui gloriam pergam æmulari, ut hinc in letho læti ſimus. Vale, & vige Fidelitatis Columna, Æqui Bonique Tibicen, atque fulcrum, & quod Titulos omnes ſuperat, *vincte Jeſu Chriſti.* Optimè nôſti effatum Salvatoris, *quiſquis domum aut agros reliquerit mei nominis gratiâ, is & in hoc ævo inter tot acerba centuplum accipiet, & in futuro vita fruetur ſempiternâ.* Perſtringam omnia Farnabii Pentametro, ut mihi videtur, uſque ad θαῦμα compoſito,

*Meᾷ ama, amaᾷ mea, ut teᾷ amo, amoᾷ tua.*

Amicitiæ tuæ Cultor fidus,

RICHARDVS GARDINER.

*Supe*

*Supplementum Noviſſimum.*

# STRENÆ

## CIRCITER
## Calendas IANVARIAS.

*OXONIÆ,*
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impenſis R. DAVIS. 1668.

(lutat;

PHœbus adeſt; terrâſq; nova jam luce ſa-
Atq; triumphales pulchrior urget equos:
Terga videns Janus dum fauſtũ nunciat annũ,
Ora ſibi queritur non ſatis eſſe duo. (renda,
Nunc, ſi quando mihi, nunc munera grata fe-
Votáque pro Domino concipienda ſuo;
Extento vivas ævo, redeuntis & anni
Prima dies vitæ ſit quaſi prima tuæ.
Non ego veloci labentia tempora greſſu,
Néve queror celeres præteriiſſe dies.
Talia damna juvant, non vixit inutilis anno,
Quem lux viventem viderit una tibi.

## *In Nativitatem Christi.*

MYstica nimirum fileat miracula Delphos,
Victus dum à Puero mutus Apollo ja-
Sic Leo, qui terror sylvæ, cujusq; furentis (cet:
Echo rugitus reddere sæpe timet,
Tandem Cristati cùm cantus Alitis audit,
Hos fugit, & tacitè territus Antra petit.
Discimus ex Infante loqui, dũ mutus Apollo,
Hujus dum Interpres, sitq; ruina simul.

## *In Nativitatem Christi.*

MIttere dona dapes, atque aurum hoc tempore Brumæ,
Mos erat antiquis ambitiosus Avis.
Nec vanas misêre ad cœlum altaria flammas,
Cum vitulo in fumos néve abiere preces.
Dum simul ingessit cœlum sua munera terris,
Et nil majus habens, se Deus inde dedit.
Quòdq; cubile fuit stabulum, Præsepia cunæ,
Hinc Agnus verè dicitur ille Dei.
Quòd gratũ ostendit lætis pastoribus astrum,
Pastorem populi se probat esse sui.
Cœlestésque domos ideò liquisse fatetur,
Possit ut errantes jam revocare greges.

## *In Feſtum Nativitatis.*

PRodigium quale eſt! ſobolem non nupta (tenellam
Virgo, nec amiſſâ Virginitate, parit.
Mater fauſta! uterus tali cui prole tumeſcit,
Et Patrẽ, & Natum mox paritura ſuum eſt.
Quem mare, nec cœlum, magnus neq; conti- (net orbis,
Vidimus humano ventre latere Deum; (nis,
Matris & Ipſe ſuæ genitor, prior omnibus an-
Virgineos potuit ſic habitare ſinus.
Munera Chaldæi Tibi dant ingentia Reges,
Atq; probant Genitũ vel data thura Deum:
En amor! ut vivant homines, cœloq; fruantur,
Devenit ad terram, ſuſtinet atque necem.

*Supplementum Noviſſimum.*

# CARMINA Dormitoria.

*OXONIÆ,*
Excudebat H.H. Academiæ Typographus,
Impenſis R. DAVIS. 1668.

# CARMINA

## DOMINICALIS.

## *In festum diem omnium Sanctorum.*

DIvos esse ferunt, quæ cœlo cernimus, astra,
Quamlibet & stellã martyris esse focum.
Credimus & famæ, tot certò continet æther,
Quot junctos potuit festa tenere dies.
Nec jam miramur Sanctorum quisq; seorsim
Dum colitur, somno tempora nulla dari.
Spargitur alma dies sydus cùm splendeat unũ,
Tum nox est quoties sydera plura micant.
Sit nox cum somno, votum concedite, vivos
Religio Sanctos nostra rogare sinit.

---

(bunt:

EN terris maria ipsa quasi inclinata recum-
Expectant requiem flumina & ipsa suam.
En simulant fessos curvata cacumina somnos,
Ipsa velut somno & pondere pressa suo.
Pōderibus librata suis nutare videtur
Terra, quies certa est non abeuntis aquæ.
Pallida cœlorum demonstrat forma quietem,
Et pallor Lunam, & sydera nutus habet.
Omnia somnus habet, nobis atque altior esset,
Digneris nutum si modò, Phœbe, tuum.

---

Explicat

EXplicat æſtivos radios Sol, Syrius agros
Exurit, placidos ſola dat umbra dies.
Æſtu Muſa calet, nimiúſque inſpirat Apollo,
Auſpiciis ſed erit mitior ille tuis.
Quin ſol ipſe poteſt ſomnum ſuadere videri,
Luminibúſque diem dat calor, atque rapit.
Parnaſſo dormire datur, te dante ſoporem,
Et magis in laudes Muſa futura vigil.

Pieridas

Pleridas fruſtrà Muſas, Phæbumq; requiro,
Votum pro ſomno reſpuit iſte Deus.
Jus Majeſtatis veſtræ haud invadet Olympus,
Quòdq; tuum nobis eſt dare, ſolus habes.
Morphea quid poſcam? vereor nè fortè roga-
intempeſtivas judicet eſſe preces. tus
Evigilet quicunque mihi dat munera ſomni,
Somnum non res eſt ſomniculoſa dare.
Te vigilem petimus ſecum claudere lumen,
Nec ſomni Myſtas crede, ſed eſſe tuos.

Audax

Audax pervigilem ſopit Medæa draconem,
Auratum victrix vellus & inde tulit.
Noſtra exoptato potiantur carmina voto,
Et ſomnum dones, aurea metra feres.

FINIS.

FINIS

QUàm invida felicitati meæ fortuna ſit, Vir Digniſſime, vel exinde conſtat, quòd nullum hactenus admiſerit obſervantiæ erga Te meæ teſtimonium. Erumpo igitur in matutinum Ave, feſtinus ſanè, nè vel hoc ipſum antevertant, nè in impiam me cogant ingratitudinem, æſtro ſuo perciti Inquiſitores, * ſuo temulenta numine Comitia Fanatica. Quorum tam jejuna, tam macilenta Religio eſt, ut in pallidam tota nuper intabuerit *Invidiam*. Credamus viperèam carnem (quâ ſolet Livor ſaginari) ipſámque primùm (exeunte jam anno) Serpentis caudam, perverſâ methodo, comediſſe. Teſtor noviſſimum ſententiæ feralis aculeum, ac venenum: quo quidem afflatus, læſúſque Ædis hujus Genius ſacer, omnem ſubitò erigit incolam; &, quòd ancipiti nondum gladio nondum ferro valeamus, coram ipſo juramus ad Aram, Te ſtylo vindicaturos, & pugillaribus. Debito interim Clientibus tuis te proſequi fas ſit obſequio, quibus ſacra videris

An. 47.

deris velut Epocha; à quo, ût non ſæculorum, Annorum tamen Natalitia ordiemur, dierum auſpicabimur Genethliaca; non novis temporum, non rerum vicibus, non Faſtis antiquioribus, ſed Tuæ dignitati tranſlatâ pietate, famulantes. Recurſantes Jani Calendas, non chartula minio notata, ſed Tuus cultus oſtendit, Annúmque pandit; adeò vel ipſe nobis (quæ tuis olim turgebit nominibus) Dominus inſtar es Ephemeridis.

Non

NON huc me coegit Anni Tempeſtas, nec communis illa ſolennitas Avæ Patronis accinendi; totus beneficiis à Te acceptis oneratus adſum, nec ſtrenam vocari, quod apporto, ſed debitum velim, quod cùm ſolvendo par non ſim, fateri, & recognoſcere non ingrati eſt. Magna certè voluptas eſt gratias agere, & Mecœnatis munus dum recordor, ſecundo fruor, quódque acceptum refero, quaſi iterum accipio. Huc immerentem abduxiſti ut eſſes Patronus, in domum me Tuam admiſiſti, ubi ſimul Patrem-familias Te, & Penates agnovi, candido dehinc vultu foviſti, & uſque foveas precor, ut in finem totus Tuus fiam.

NOvum Tibi gratulaturus annum, vir Reverendiſſime, non mirum videri debeat, ſi pudore (quamvis & hic tenuitatem meam teſtetur, pariter & honeſtet) perfundatur Cliens tuus, utpote quem extorſit virtutis veſtræ ſtupor, mihi quidem ſemper ſummæ viſæ, niſi quòd Tu hanc, qui ſolus poſſis, magis uſque coneris excolere. Hoc nomine effectum eſt, quòd Jani reditum tantâ Religione veneremur, ideò ſanè grati, quòd Te nobis rurſus oſtendat; & ſanè novum annum malo omine ſalutaremus, niſi eum priùs auſpiciis tuis inſignitum videamus, quem tum ſolùm fauſtum nobis futurum ſperamus, quando à Te ortum ſuum trahit. Liceat igitur nobis pro incolumitate veſtrâ gratias litare, qui ne minimam quidem expectare ſalutem poſ-

possimus, nisi quam vestra priùs nobis præsagivit; sed si fortè peccavero, dum Tuæ Dignitati reducem annum gratulor, nova utinam semper crescat peccandi materia.

AUguſto licèt Minio Purpuratus hodie effulgeat Janus, Tuo tamen Nomine ſacratiorem multò celebramus lucem. Æquo ergo patiaris animo, ut ex vultu tuo fæliciorem Anni decurſum non vanus Augur proſpectem. Strenas video Tibi undequaque ingeſtas, & vel minimum gnaviter laborantem ut Tibi maximè placeat. Inter hoſce ſedulæ dicam, an moleſtæ Obſervantiæ Tumultus, quietem, quam Tibi exoptamus, etiam exoptando invidemus, ita quod in aliis affectus, in nobis gravaminis nomen induat. Te proinde qui Imperium pateris tuum, interq; cætera Ædis onera, etiam & officioſas haſce chartas annumeres, feſtinanti docet ignoſcere diligentiæ, etiam meæ, qui honeſto ſaltem animo pecco, & Favorem tuum ideò pertinaciùs ambio, quia toties expertus ſum. Is mihi

mihi in Carceribus anni, is & in Meta obtingat, ut dum idem mihi & labores ſuggeret, & coronet, dubius hæream fæliciúſne ſemper incipiam, an majori cum honore deſinam.



Library of the
UNION THEOLOGICAL SEMINARY
New York